MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80712-3

AUTHOR:

BOURGUET, EMILE

TITLE:

DE REBVS DELPHICIS IMPERATORIAE...

PLACE:

MONTEPESSVLANO

DATE:

1905

Master Negative #

92-80712-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

886
B665 Bourguet, Emile, 1868-
De rebvs Delphicis imperatoriae aetatis capita dvo scripsit ... Aemilivs Bovrgvet ... Montepessvlano, Apvd Camillvm Covlet, 1905.
101 p. 25½ cm.

Thesis, Paris.

58116



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/3/93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE REBVS DELPHICIS

IMPERATORIAE AETATIS

CAPITA DVO

SCRIPSIT ET FACVLTATI LITTERARVM

VNIVERSITATIS PARISIENSIS PROPOSVIT

AEMILIVS BOVRGVET

GALLICAE QVAE EST ATHENIS SCHOLAE OLIM SOCIVS



MONTEPESSVLANO

APVD CAMILLVM COVLET EIVSQVE FILIVM

VIA DICTA GRAND RUE, 5

—

MCMV

DE REBVS DELPHICIS

IMPERATORIAE AETATIS

CAPITA DVO

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT

DE REBVS DELPHICIS IMPERATORIAE AETATIS

CAPITA DVO

SCRIPSIT ET FACVLTATI LITTERARVM
VNIVERSITATIS PARISIENSIS PROPOSVIT

AEMILIVS BOVRGVET

GALLICAE QVAE EST ATHENIS SCHOLAE OLIM SOCIVS

MONTEPESSVLANO
APVD CAMILLVM COVLET EIVSQVE FILIVM
VIA DICTA GRAND RUE, 5

MCMV

IN MEMORIAM

LVDOVICI COUVE

AMICI

Si quis per rudera Delphorum nunc fossione peracta deambulat, iam primo adspectu non potest non agnoscere quam multa sint illius aetatis uestigia qua Romani imperatores Graeciam summa potestate regebant. Consulto enim omnes aedificationes praetermittat quas in temporibus Byzantinis exstructas esse liquet, scilicet ἀναλήμματα pessimi generis quae in inferiore sacri periboli parte supra uiam sacram adhuc conspiciuntur; et miseras rudesque quattuor aut quinque christianorum sepulturas quae ad primum uiae sacrae flexum, supra thesaurum Megarensibus adiudicatum, erutae sunt; et ingentem molem fundamentorum quibus S. Nicolai ecclesia fulciebatur; et latericium aquarum ductum quem e Cassotide defluxisse uerisimile est quemque diruere, ut caput thoracemque ahenei Aurigae inueniremus, coacti sumus. Suppetunt profecto quae aetati antecedenti uindicare nobis liceat. Primum uia sacra, a platea unde originem ducit atque a gradibus quibus adhuc τεμένους saeptum ingredimur usque ad finem ante templi frontem, eademque uia producta usque ad opisthodomi plateam, imperatorum tempore paene tota refecta est. Quod testantur permultae ueterum saeculorum inscriptiones quibus constrata est, dedicationes scilicet aut acceptarum expensarumque pecuniarum tabulae. Huc accedit quod statuarum bases secundum illam uiam crebrae occurrunt, in uicinia templi, ut

fit, densius stipatae. Extra periboli muros ab utraque parte balnea patebant : hypocausti uestigia occidentem uersus remanent, sed multo maiores erant thermae quae ad orientem spectant. In his locorum instructio adhuc cernitur, et cellae unius aut alterius pauimentum, uermiculato emblemate stratum. Aquae in magnum receptaculum colligebantur quod tanquam planissimo documento nobis est, nouum rerum ordinem extitisse : porticum enim multo uestustiorem et πωρίναις columnis exstructam Romani, aut Delphi Romanis iubentibus, accomodauerunt utilitati clausisque intercolumniis ingentes muros erexerunt quibus fornix imposita est. Eodem modo in compluribus locis et intra periboli saeptum antiquos muros, siue isodomi erant siue ex polygoniis lapidibus constabant, quasi duplicauerunt : nunc etiam multis eorum laterarii incumbunt. Ante omnia hic memoranda est platea quae ante opisthodomum templi olim pandebatur, quae aediculis aliquot ex latericiis illis muris exstructis dimidio minor facta est.

Statuis quoque sacram Apollinis sedem adornauerunt quae si non signa ceteraque graecarum artium capita a Sulla et Nerone sublata pensabant at nonnullorum locum tenere uidebantur. Velut in una ex eis cellis quae plateam ante opisthodomum praetexebant intimo parieti applicata stabat pulcherrima Antinoi effigies ; et in ipsa platea rotunda basis cuius inscriptio periit, quam imperatoris alicuius statuam tulisse consentaneum est. Adde hominis barbati caput quod I. Pomtow primus illustrauit[1], aliudque

1. Libri qui *Beitraege zur Topographie von Delphi* inscribitur p. 110-111 et tab. XIII.

quod nostra fossione in solem productum est : frons cincinnulis raris non tam angustata quam circumscripta, tenuiculus uultus, acres oculi, barba ne superiore quidem labro admodum abrasa, paruae aures, nasus affatim prominens, omnia ita ad unguem elaborata, ut artificem opus proxime ad ueritatem adduxisse etiam nunc iudicare possis.

In maius sane extolleremus hominum industriam qui Romanorum imperatorum aetate Delphis uixerunt, si eorum reliquiis omnia antiquiorum temporum uestigia operta atque obruta esse contenderemus. Illae tamen reliquiae Delphis sicut Eleusine crustae modo ceteris superpositae sunt, nam fodienti prius obuiam fiunt, ut ita dicam, Romani, dein Graeci, quorum pauca non commutata illi reliquere.

Et in aedificiis quae intacta seruauerunt, et in eis quorum labantes partes restituere necesse habuerunt, et in omnibus ubique muris quorum planities etiam tum uacabat, homines illius aetatis titulos incidendo exsecuti sunt. Nihil tum quadratariorum libidinem effugit a podio et diazomate theatri usque ad capitula columnarum quae porticum thesauri ab Atheniensibus dedicati sustinebant. Neque, quod saeculis proxime praegressis fieri solebat, inscriptiones quibus mancipia tanquam Apollini Pythio uendita e seruitute liberabantur ceteros titulos numero superant. In marmoreis parietibus thesauri qui Cnidiis tribuitur decreta continuabantur quibus ciuitas aduenis impertita erat, et perfrequenter uerbis in breuissimum coactis : τὸν δεῖνα Δελφοὶ Δελφὸν ἐποίησαν. Tales tituli sed latius fusis formulis in muris magnae aedis insculpti sunt, maxime in antis et in fronte quae ad orientem spectat ; nam meridiem uersus

longi parietis inferior pars, si seorsum reponas aliquot Amphictyonum decreta, epistulis imperatorum quasi reseruata uidetur esse. Denique, ne plura nunc dicam de illis quae penes ἐπιγραφικήν sunt, iterum hic repeto permultas statuarum bases quae non iuxta uiam sacram tantum sed undique in peribolo obuersantur, quibus nomen laudesque dedicati et non raro dedicantis quoque celebrantur.

Ergo si quis monumentorum inscriptionumque copiam aggregatam intuetur atque, Plutarchi dialogis collatis et nummorum testimonio adhibito, omnia in unum complecti tentat, is demum intellegit quo iure sacerdotum delphicorum clarissimus reuiuiscentem sua aetate sacram urbem et noua Pylaeae stirpe fruticantem collaudauerit. Nos quoque et Apollinis sedi nouo splendore fulgenti et imperatoribus paene omnibus benigna eam cura fouentibus et uiris in omni genere laudis notissimis ad templum Dei Pythii concurrentibus libenter gratularemur; sed ne specie forsitan uana illudamur operae pretium est rem propius inspicere. Non enim est cur idem nobis atque Plutarcho accidat qui de aequalibus aut hominibus aut rebus semetipsum inuitus in errorem inducere potuerit.

Mihi tamen non est in animo omnia colligere quae scriptores titulique de Delphis per prima p. Chr. saecula docent. Materiam enim nondum satis digestam esse mox apparebit. De inscriptionibus tantum loquor, quarum minutissima fragmenta coniungere et quasi resarcire diu quidem conatus sum, sed frustra saepius. Hoc in libello requiras quaeso non quaecumque tentaui sed quae nunc saltem pro certo dare possum. Pro lineamento maioris ualeat laboris suscipiendi: qui ut absoluatur lapidum transcriptiones chartaceaque

ectypa non amplius sufficiunt. Priusquam igitur ad lapides ipsos reuertar, complexus sum quid certi haberemus de quibusdam hominibus aut institutis quidque noui adferrent tituli quorum disiectorum membra congerere mihi datum est. Paruulorum fragmentorum restat ampla collectio: utinam contingat uerum quam plurimis tribuere locum! Sed parietes delphicae aedis, in quibus sicut dixi tot documenta erant incisa, paene funditus euersi sunt. Forte extat unus aut alter lapis integer; plerumque de multis permagnisque saxis quadratis quae meridiem uersus grauiore lapsu ceciderunt propter fundamentum hac parte derectum et praeceps, frustula supersunt quibus aliquot uersuum initium aut finis, frequentius etiam paucissimae litterae asseruatae sunt. De labore nostro melius fortasse quam de quouis alio et nostris quam Plutarchi temporibus Heraclitea illa uerba usurpanda sunt: ὁ ἄναξ οὗ τὸ μαντεῖόν ἐστι τὸ ἐν Δελφοῖς οὔτε λέγει οὔτε κρύπτει, ἀλλὰ σημαίνει, dum mihi liceat addere: καὶ τὸ σῆμα Λοξίου ἄξιον.

Omnia igitur enucleari posse nemo sperat. Satis nunc quidem habebo si attulero quae ad planius cognoscendam aetatem animi aduersione dignissimam utilia esse uideantur. Quaestionem certe instituere de Delphis denuo sub finem prioris saeculi magisque in priore alterius parte florentibus et specimina aliquot certissima praebere per duo huiusce libelli capita aggrediar. Quorum summam statim inuenias oportet.

Priore capite de quibusdam publicis Delphorum institutis agitur et de magistratibus nonnullis quorum tempus certiore modo definiri potest.

Altero autem, de commercio praecipue epistulari quod inter Romanorum imperatores et Delphorum ciuitatem extitit [1].

1. Non possum omnes doctorum uirorum libros commentariosque laudare qui ante fossiones a. 1892 incoeptas de rebus Delphicis Romanae aetatis tractauerunt. Quibus omnibus ut aliquid adiectum est, ita nihil aut fere nihil detractum. Sed de documentis quae hoce in libello leges paucissima praefari necesse est. Ipse a. 1895 ad Academiam Inscriptionum et Humaniorum Litterarum lucubrationem misi syllogenque titulorum aetatis imperatoriae (cf. *Comptes Rendus Ac. IBL* 1896. pp. 86-89) : cuius partem auctam et nouo ordine dispositam hic praebeo. Deinde Th. Homolle, dum historiam templi Apollinis persequitur, idem propositum attigit compluresque inscriptiones commentario bonae doctrinae pleno ornauit *Bull. de Corr. hell.* XX pp. 707-732 ; quarum unam aut alteram repetendam esse arbitratus sum. Ea autem documenta nondum in lucem prolata quae primum hic leges mox Annalibus Gallicae quae est Athenis scholae (*BCH*) inserta inuenies, nec seorsim posita sed secundum temporis ordinem collocata, nec disiecta sed quantum potuero aggregata. Alii quoque tituli adiciendi sunt multi, et omnibus iusta *lemmata* superimponenda. Hic enin tantum pro testimonio quaeso ualeant, illic uero digniora erunt quae publici iuris fiant.

CAPVT PRIVS

DE QVIBVSDAM PVBLICIS DELPHORVM INSTITVTIS

I. — DE SACERDOTIBVS.

Pauca praesto sunt quae sacerdotum catalogo adiciam quem G. Colin nuper instruxit [1]. Unus tamen illic deest qui sacerdotio functus esse circa medium primum p. Chr. saeculum uidetur, siquidem recte collati sunt duo tituli quorum priorem [2] hic habes :

Μεμμίαν Λοῦ|παν, Π. Μεμ|μίου
Σωτή|ρου ἱερέως | θυγατέρα,
ἀρ|χηίδα, Π. Μέμ|μιος Στάσι|μος
τὴν ἰδίαν | εὐεργέτιν.
ψ(ηφίσματι) β(ουλῆς).

P. Memmius Soterus sacerdos ex eadem familia sine dubio est ortus ex qua duo alii Soteri, unus pater Ctesonis qui buleuta in priore parte primi saeculi nominatur [3], alter

1. *BCH* XXII pp. 156-181.
2. N. 818 (in catalogo omnium rerum quae Delphis effossae sunt) Exscripsit L. Couve. Alta basis flaui rudisque lapidis, iuxta uiae sacrae flexum quem definit muri polygonii angulus. V. 5-6 : legitur nox ἀρχῆς de qua cf. p. 18.
3. *BCH* XXII p. 109, n. 98.

pater Ctesonis et Soteri illorum quos laudat decretum imp. Hadriano iterum archonte latum [1]. Sed cum eadem nomina frequentius in eadem domo usurpentur nec facile sit successionis ordinem illa tantum ratione determinare, praestat aliam uiam ingredi ut locus reperiatur qui Sotero sacerdoti merito uindicari possit. En igitur alterum documentum [2] :

[Ἐπειδὴ ... Μέμμι]ος Νείκανδρος ΑΠΟ ......
.....υἱὸς μὲν τοῦ ἱερέως Μεμμίου Εὐ[θυδάμου]
[καὶ Με]μμίας Εὐθυδαμίλλης, ἔκγονος δὲ Μ[εμμί]ας
[Λούπα]ς τῆς ἀρχηίδος, τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τ[ὸν ἀ]γῶνα
[τ]ῶν Πυθίων ἔντε γραμματείαις καὶ συστ[ηματικ]αῖς
καὶ ταῖς ἄλλαις φιλοτειμίαις κοσμήσας εἰς [πᾶν τ]ὸ χρε-
ὼν ἐνήλλαξεν, ἔδοξεν τῇ πόλει τειμὰς [αὐτῷ τὰς
ἡρωϊκὰς ψηφίσασθαι [καὶ κα]τεύχεσθαι αὐ[τῷ ....
.. ἐν πρυτανείῳ κα[ὶ ἀναγορεῦσ]αι αὐτ[οῦ τὰς τειμ-]
ὰς ἐν ταῖς ἐπισημοτά[ταις πόλεσιν ἐν αἷς οἱ]
ἱεροὶ ἀγῶνες ἐπιτελοῦ[νται, καὶ ἐν Δελφοῖς...]
[κ]αὶ ἐν Ἄργ[ει] καὶ ἐν Κορίνθ[ῳ ... Vacat?]

1. *BCH* XX p. 723.
2. NN. 195, 1744, 2268. Fragmenta lectu difficilia propterea quod planities lapidis scabrosa est et litterae confertim et spisse exaratae cum fissuris confundi possunt. V. 1 ante [Μέμμι]ος, — ΕΙΚ uidisse puto, et post nomen Ἀπο... aut Ἀφρο... quibus uestigiis formulam ἀπὸ [ἱερέων πολλῶν] indicari non probabile censeo. Nicandrum illum diuersum fuisse ab sacerdote certum est, ueri simillimum autem eundem cui Plutarchus libellum *de audiendo* (1, p. 37 C) misit. Cf. quod de eo ipso coniecerat I. Pomtow, *Neue Jahrb.* 1889 p. 550 adn. 37. — V. 5 : ad scaenicas artes pertinere laudes quae hic et u. seq. memorantur haud dubium arbitror, sed nihil hactenus inueni quod conferretur. — V. 9 initio desunt duae litterae quarum priorem P fuisse notaui sane dubitanter, sed quid lateat, nam σίτησις minime conuenit, nescio. Πρυτανεῖον Delphis iam quarto ante Chr. saeculo fuisse nouimus : cf. meae *Admin. financ. du sanct. pyth.* p. 47 adn. 2.

Supplementa u. 2 et u. 4 si probaueris, non minus quam quadraginta aut quinquaginta annos inter sacerdotes P. Memmium Soterum et C. Memmium Euthydamum eius nepotem interfuisse sumes. Hunc autem intra decem postremos primi saeculi annos sacerdotium inisse constat [1].

Hucusque C. Memmius ille Euthydamus et Euclidas Astoxeni f. ultimi sacerdotes habentur quorum tempore serui manumissi sunt. Neque ueterem formulam qua mancipium Apollini Pythio uenundabatur paullatim cessisse et tandem ut obsoletam euanuisse nego. Puto tamen manumissionis documentum quod infra posui [2], cuius breuissima uerba, magnae litterae, uox ἐχαρισάμην olim in hoc genere inusitata, omnia denique notabilia sunt, non posse nisi alteri parti saeculi alterius assignari :

....
...ἐ]χα[ρι]σάμην
.......ΙΟ.[τῷ Π]υθίῳ (Ἀπ)όλ-
[λωνι παι]δάριον ὀνό[μ]ατι
......εα ἐπὶ ἱερέω[ν] Λ.
[Γελλ.] Δημοστράτου
[καὶ Τιβ.] Ἰουλίου Ἀρισταινέ-
[του· ἄ]ρχοντος ἐν Δελ-
[φοῖς Μ. Α]ὐρ. Ἀντιφάνους, μ[η]-
[νὸς Θ]εοξενίου.

Tib. Iulium Aristaenetum quem hoc titulo sacerdotem fuisse deprehendimus archontis munus a. p. Chr. 163

1. *BCH* XXII pp. 152-153.
2. NN. 891, 868. V. 2 [μετὰ τοῦ υ]ἱο[ῦ]?

suscepisse mox demonstrabo. Quandoquidem ego quoque censeo Delphos ad Romanorum exemplum certissimo cursu honores adeptos esse, tempus quo Aristaenetus Demostratusque sacerdotes et M. Aurelius Antiphanes archon fuit illo termino quasi cohiberi mihi uidetur, neque ante a. 164 regressurus sum.

Sed alter ille sacerdos, L. Gellius Demostratus, iam abhinc aliquot annis innotuit. Babbius enim Aurelius Nicobulus statuam τῆς ἑαυτοῦ τροφίμης dedicauit, cuius basis extat descripta *BCH* XX p. 719. Tituli initium desideratur neque certa ratione mihi quidem suppleri posse uidetur : ibi scriptum erat nomen clarissimae mulieris cui nomina uiri, sacerdotis fortasse, qui eam duxerat uxorem, et sacerdotum Apollinis Bacchique, quorum erat mater, postposita fuisse satis fidenter conicio.

Asseruatur certe stemma familiae antecedentis, aut, ut pressius loquar, sacerdotum series quorum filia neptis proneptis honorata est :

L. Gellius Xenagoras I
|
L. Gellius Xenagoras II
|
L. Gellius Demostratus
|
(Gellia) τροφίμη Babbii Nicobuli.

Si retro temporum ordinem sequimur, ab anno 164 et sequentibus profecti paene ad nouissimos Plutarchi annos reuertimur, cuius in locum forsitan Xenagoras I successerit.

Alterius saeculi sacerdotibus insuper adiungendus est,

nisi fallor, Flauius Aristotimus qui in nummo delphico [1] ἱερεύς nominatur quemque Babbio Maximo archonte buleutam et principem legatorum (a. 125) ad Hadrianum missorum fuisse accepimus. Quod is nummus ἥρωϊ Ἀντινόῳ tanquam consecratus est, Aristotimum Antinoi sacerdotio functum esse olim putaui ; sed nunc, praesertim cum Delphis nullum aliud noui illius cultus uestigium repertum sit, mera uoce ἱερεύς non posse nisi Apollinis ministrum designari crediderim. Aristotimus igitur circa a. 130, quo Antinous heros factus est, summum illud munus accepit.

Hactenus de temporum rationibus. Instituta uero quae ad res sacras pertinent non commutata esse manumissio supra transcripta testatur, ex qua apparet duos tunc fuisse Apollinis Pythii sacerdotes, sicuti per superiora tempora (tres enim perraro occurrunt). Sed munera plura in templo extiterunt, ut fit apud homines dignitatum amantissimos. Quid de Diis penitus senserint indagandi non est locus; at, perinde quasi uetus religio nouo nitore illuminaretur, officiorum ministeriorumque nomina haud pauca in consuetudinem uenerunt aut reuocata sunt, de quibus apertiora dicere nobis in promptu non est. Hic commemorandus est e. c. σύνδικος ille τοῦ Πυθίου [2], atque Hosiorum collegium, qui et Bacchum et Apollinem coluisse mihi uidentur. Nam ut eos Plutarcho auctore τὸν Λικνίτην caerimoniis adsecutos esse constat [3], ita in titulo quem modo laudaui [4]

1. *BCH* XX p. 41, n. 70.
2. Pomtow, *Beitraege zur Top. v. Delphi* p. 122.
3. Plut., *De Iside et Osir.* 35, p. 365 B : Θύουσιν οἱ ὅσιοι ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ὅταν αἱ Θυιάδες ἐγείρωσι τὸν Λικνίτην, de quo cf. Hesych. *s. u.* Λικνίτης· ἐπίθετον Διονύσου.
4. Et qui *BCH* XX p. 719 transcriptus est.

uerba u. 4 ὁσίου τοῦ Π[υθιου] recte suppleta esse concedes.

Horum tamen nominum duobus inmoremur necesse est quae illius aetatis proprium quiddam et peculiare ipsa indicant.

Prius ἀρχηΐδος est, quo Memmiam Lupam et Gelliam Dionysiam [1] ornatas esse comperimus ; praeter eas Flauiam Cleam, eandem fortasse uel potius eiusdem filiam cui Plutarchus librum de Iside et Osiride misit, agnoscemus. Sed multae mulieres quarum memoria obliuione obruta est illam dignitatem acceperunt [2]. Neque inauditum est feminas illo tempore munera paene omnia adeptas esse, nec tantum rebus diuinis animum dedidisse uerum etiam ad rem publicam accessisse. Sed, ut alibi et praesertim in Asia minore [3] mulieres honoribus stephanephori gymnasiarchique et prytaneos et demiurgi quoque defunctae haud semel inueniuntur, ita Delphis nullam, Pythia excepta, in sacerdotum [4] eorumque ministrorum numero ante aetatem imperatorum fuisse concedendum est.

Altero nomine, quod est ὁ ἱερὸς παῖς, L. Gellium Polyze-

1. In eodem titulo qui p. 17 adnot. 4 memoratur, u. 10 : Γελλ(ίας) Διονυσίας τῆς κρα(τίστης) ἀρχηΐδος.

2. Eiusdem tituli u. 11 : ἱερέων καὶ ἀρχηΐδων πολλῶν ἀπόγο[νον].

3. Cf. P. Paris, *Quatenus feminae res publicas in Asia minore Rom. imper. attigerint*, Parisiis, 1891.

4. Ita enim uerbum quod est ἀρχηΐς mihi accipiendum uidetur esse ut idem atque ἱέρεια ualeat. Nam quid fuerit apud Tenios ἀρχίς (*CIG*, 2339 et *Musée Belge*, 1904, quod noui tantummodo ex *Rev. Et. Grecq.*, 1904, p. 295, ubi ἀρχίς « femme de l'archonte » redditur) et apud Thasios ἀρχεῖτις (*CIG*, 2162) et in insula Syro ἀρχεἱνη (Ross, *Inscr. ined.*, p. 20, n. 109) nunc diiudicare nolo. Sed ex Spartanis titulis *CIG*, 1440 et Ἐφημ. ἀρχαιολ. 1892, p. 19, lucide mea quidem sententia apparet τὴν ἀρχηΐδα rebus diuinis operam dedisse.

lum designatum uidimus [1], Babbiumque Maximum, qui iam abhinc nonnullis annis innotuit [2] statua honoratum esse nunc comperimus, cuius in inscriptione [3] eadem uerba repetuntur :

[Τὸν ἱερὸ]ν παῖδα | [Βάββιον] Μάξιμον |
[Βα]ββίου Μάγνου | υἱὸν καὶ Πακουίας |
Φορτουνάτης | οἱ Ἀμφικτύονες.
ψ(ηφίσματι) β(ουλῆς).

Nil huc spectant pueri qui pythici dicebantur [4], ei scilicet qui in gymnicis musicisque ludis ἰσοπύθια praemia referebant. Paullo propius ad delphicum usum accedit quod B. Haussoullier in titulis praecipue asianis uoce ἱερός hierodulos, Deorum mancipia ut architectum, operarios, ceteros ὑπηρέτας significari luculenter demonstrauit [5] : ἱεροὺς Didymei παῖδας nominare sat est.

Ingenuos contra eos esse apparet qui in inscriptionibus Messeniis Pheris et Andaniae repertis [6] ἱεροί nuncupantur. Sunt tamen digniores etiam qui hic commemorentur puer Aesculapio consecrati ut ille παῖς Epidaurius ὁ τῶι Θεῶι πυρφορῶν [7] eique quos mane cantantes audiebat Aristides [8],

1. *BCH* XX p. 719, u. 9 : ἱεροῦ παι[δ]ὸς τοῦ Πυθίου καὶ πρέσβ[ε]ος τῶν Ὁσίων. Eodem modo hic opponuntur uerba παῖς et πρέσβυς ut in titulo Megarensi (*IG* VII 106) υἱὸν πόλεως καὶ πατέρα βουλῆς.

2. Pomtow, *Beitraege* p. 122 et tab. XIV 43.

3. N. 2493. Exscripsit G. Colin.

4. Le Bas-Waddington, 1730 *b* (Alexandria Troas, ludi Apollinis Sminthei) ; *BCH* V p. 231 (Cos).

5. *Revue de philologie* XXI (1897) pp. 113-114.

6. Le Bas-Foucart, nn. 291 et 326 *a*.

7. *IG* IV 951 u. 45.

8. I p. 452, Dind. : qui locus allatus est ab M. Fraenkel, *Inschr. v. Pergam.* II 251, ad u. 26.

aut Iobacchorum filii qui patre superstite si nondum Iobacchi at caerimoniarum participes erant [1].

Sed Delphis uernaculum prorsus saporem illud habet. Memoriam enim acris adulescentuli, quem in templo Pythii humili condicione educatum nobilitabat Euripidea fabula, fieri non potest quin reuocet sera Ionis hereditas. Nimirum ex notissima eximie popularis poetae tragoedia quam propter omnia delphicae antiquitatis quae continet documenta prae ceteris illic dilectam fuisse probabile est, imaginem quam simillimam exprimere conati sunt Babbius Maximus Aureliusque Polyzelus et alii, ingenui quidem, sed ab incunabulis ut Ion Deo deuoti. Quemadmodum ille proprie, sic hi συμβολικῶς Apollonis alumni fuerunt [2]; sicut ille ad Atheniensium regnum, ita hi ad buleutae, archontis, sacerdotis munus euasere; atque etiam Maximum dum archon est officium suum βασιλεύοντος titulo semel decorasse non mirabimur.

Illius temporis homines, ut qui praeterita respicerent, uitam non tam suam quam alienam et uere ficticiam degere cupiebant. Quamobrem procul dubio est Nicandrum illum quem Plutarchus [3] minus accurate προφήτην uocat, eundem fuisse atque sacerdotem Tib. Claudium Nicandrum : quod iam pridem I. Pomtow sagaciter coniecit [4]. Et hoc quoque

1. *Athen. Mitteil.* XIX pp. 249 sqq., u. 54; cf. Dittenberger, *Syll. Inscr. Gr.* 737, adn. 37.

2. Ita medicus ἰατρόμαντις παῖς Ἀπόλλωνος ab Aeschylo dicitur *Suppl.* 263, sed quasi artiore uinculo pueri Pythii cum Deo conectebantur. Neque nomen illud ad exemplum Romanarum ἱερῶν παρθένων, i. e. uirginum Vestalium (*IG* III 875-877) ab Delphis fictum esse mihi persuadere possum.

3. *De def. orac.*, 51, p. 438 B : τὸν προφήτην Νίκανδρον.

4. *Neue Jahrb.* 1889 p. 550; *Philol.* LIV p. 597, adn. 18 : quanquam paullo aliter uerbum interpretatus Nicandrum non minus proprie προφήτην quam sacerdotem dici potuisse censet.

nomen adfectatam antiquitatem redolet, siquidem ut uox προφῆτις a poetis [1] de Pythia usurpari, ita sacerdos ab homine qui Herodoteos [2] libros perlegisset προφήτης dici potuit. Non igitur de Romanis tantum Seneca illum gemitum fecit : litterarum intemperantia laboramus, cui ante alios Delphi assentiri debuerunt.

II. — DE ARCHONTIBVS.

Inter archontes quorum nomina in manumissionum documentis occurrunt, circiter sexaginta primo p. Chr. saeculo tribuuntur [3] : nequedum mihi quidem suppeditat cur suum cuique locum assignem. Ergo diuersa uia procedere impraesentiarum satius est. Decretis enim quibus proxenia ceterique honores externis hominibus concedebantur archontes non ita multi innotescunt, sed perraro iidem quos ex manumissionum titulis nouimus. Quamobrem nihil aliud nunc quam illos quoad potuero secundum temporum ordinem collocabo. Deinceps si quis utrumque archontum catalogum in unum confundere tentabit, facilius spero fore ut omnes rite disponat, quippe quorum nonnullos satis certo interuallo distinctos habeat. Sed ne uanam spem praecipiamus, rem ardui tamen laboris futuram esse statim fatebor et quia frequentius eadem nomina redeunt et propter multas alias causas. Quid enim sperandum sit, quid timendum quoque ostendere exemplo uno aut altero liceat, ut si quid postea errauerim ueniam anticipem.

1. E. c. Eurip. *Ion.* u. 42.

2. VIII, 36.

3. *BCH* XXII p. 155.

Prius exemplum [1] adfertur ab archonte cuius nomen iam notum est :

['Αγαθὴ] τύχη.
["Αρχοντος 'Αντιφίλο]υ τοῦ Γοργίλου, μηνὸς Βυ-
[σίου, βουλευόντων 'Αρι]στοκλέα τοῦ Φιλονίκου, Δ[ά]-
[μωνος τοῦ Πολεμάρχο]υ, ἔδοξε τᾷ πόλει τῶν Δ[ελ]-
[φῶν·ἐπειδὴ.. Σουλ]πίκιος Γάλβα υἱὸς.....
...ἀ]πὸ τῆς πρώτ[ης...
...ῶν ἡ γεν[ναιότης...

Ea supplere ne conor quidem quia uter laudetur Seruiusne an Gaius Sulpicius Galba diiudicare nequeo. Hunc enim, imp. Galbae fratrem, quem illo titulo designari olim putaui, post a. 23 urbe cessisse narrat Suetonius : Delphos igitur uenire potuit. Sed eodem Antiphilo archonte scriptae sunt manumissiones aliquot quarum unam habes *BCH* XXII p. 73, atque ex sacerdotum Philonis et Polemarchi nominibus [2], quantum eorum tempus coniectura determinare possumus, efficitur ut annus archontis Antiphili non tam sero incidisse potuerit. Melius imperatoris Galbae patri, cos. a. 6 ante Chr. n., conuenire uideretur titulus si certiora testimonia haberemus [3] quae ei delphicam inscriptionem tribui sinerent. Quod in incerto relinquendum arbitror.

Alter archon, Pythodorus Xenagorae f., nondum puto notus est. Eius nomen decreto (n. 1361) traditur quo ciuitas Ποπλ[ίῳ] .... σωνι Αἰγιεῖ data est ; sed ex duobus buleutis unius nomen asseruatur, ultimus enin uersus sic legitur :

1. N. 1738. Duo fragmenta paruae tabulae cymatio ornatae.
2. I. Pomtow apud Pauly-Wiss. s. u. *Delphoi* pp. 79-80.
3. Cf. *Prosopogr. Imp. rom.* III p. 284.

βουλευόν-
[των] (Δ)άμω[νος] τοῦ Πολεμάρχου κα[ὶ .....

Ad quem primi saeculi annum Pythodorum archontem referam nescio. Nam Damon Polemarchi f. idem esse potest atque sacerdos ille quem per primam saeculi partem munus continuauisse accepimus [1], sed nihil impedit ne sacerdotis nepotem in hoc sicut in manumissionis quodam documento [2] ubi nominatur idem buleuta agnoscamus. Nempe res quo attentius inspiciatur eo magis dubia fit.

Bis difficultatem tetigi, expedire non potui. Nunc uero explanabo qua ratione usus nomina nonnullorum archontum disposuerim.

Ab eo enim anno quo imp. Titus Delphis archon fuit proficiscamur, i. e. a. 79 [3]. Buleutae tum fuerunt Antigonus et Agathon : Antigoni autem filium, Glauciam, partes buleutae agentem postea, eo ipso anno quo C. Memmius Euthydamus tertium archontis munere functus est [4], hoc in titulo inuenimus [5].

1. *BCH* XXII pp. 175-177.
2. *Ibid.*, p. 130.
3. Edidit titulum L. Couve *BCH* XVIII p. 96 ; tempus definiuit I. Pomtow *Philol.* LIV p. 239.
4. Eiusdem anni decretum iam habes *BCH* XVIII p. 97, sed ubi buleutarum nomina, ut saepius in illo tempore accidit, non incisa sunt.
5. Duo tituli, nisi quod uir altero honoratus... Diotimus Chius est, simillimi iuxtapositi in antica planitie lapidis n. 1220 (cui adiungendum fragm. 1196) leguntur ; in sinistra parte decretum quo laudatus est Alexas in quo forma litterae ¥ notabilis est ; cf. I. Pomtow, *l. l.* adn. 55. Lapis ille n. 1220 repertus est ante frontem templi, septentrionem et orientem uersus : quem ex anta septentrionali cecidisse non sine causa persuasum habeo, nam in utroque latere incisae sunt inscriptiones. Latit. 1 m. 375.

Θεός . Τύχα | ἀγαθά.
[Δε]λφοὶ ἔδωκαν Π(οπλίῳ) Κορνηλί-
[ῳ] Ἀλεξᾶ Αἰγιεῖ πολειτείαν
[α]ὐτῷ καὶ ἐγγόνοις αὐτοῦ, προ-
μαντείαν, προξενίαν, προδικί-
αν, ἀσυλίαν, προεδρίαν, ἀτέλει-
αν πᾶσαν, γᾶς καὶ οἰκίας ἔνκτη-
σιν καὶ τἆλλα τείμια ὅσα τοῖς κα-
λοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδο-
ται. Ἄρχοντος Γ(αίου) Μεμμίου Εὐθυ-
δάμου τὸ γʹ, βουλευόντων Εὐ-
φροσύνου τοῦ Δάμωνος καὶ
Γλαυκία τοῦ Ἀντιγόνου.

Cum Euthydamum archontis dignitatem tertium suscepisse priusquam sacerdotium inierit consentaneum sit, non potest hoc decretum nisi ante a. 96 locum obtinere.

Ex altera parte illo eiusdem anni titulo quem modo commemoraui [1] celebratus est gymnasiarcha Archelaus, Domitii Hygini f. Decreta igitur in quibus eius pater, utpote qui ciuilia officia gesserit, memoratur ante annum quo Euthydamus tertium archon fuit ponenda sunt. Cn. enim Domitius Hyginus, Corinthi natus, si non primus exemplum praebuit quod multi secuti sunt, insignibus certe uiris adnumerari potest qui ciuitatem ab Delphis impertitam non honoris causa sed reuera acceperunt reique publicae in noua patria administrandae operam nauarunt. Quem buleutam fuisse Simo Epandri f. archonte ex titulo comperimus quem infra descripsi [2] :

1. P. 23 adn. 4.
2. NN. 927, 1199, 1319, 2157. Duo calcarii lapides ex muris templi quorum alter ($0^{m}355$ alt.) supra alterum ($0^{m}94$) positus est. Non est cur sen-

Θεός. Τύχα ἀγαθά.
Δελφῶν ἡ πόλις ἔδωκεν πολειτείαν
Ἀμφικτύοσιν Νεικοπολειτῶν τῶν πρὸς
τῷ [Ἀ]κτίῳ Πο. Κορνηλίῳ Ἰουλιανῷ Εὐπόρῳ,
[Πο. Ἀ]φεινίῳ Σωτίωνι, Πο. Κορνηλίῳ Εὐπόρῳ
[Λού]πῳ, Πο. Κορνηλίῳ [Κέ]ρδωνι, τειμῆς ἕ[νεκα]
[καὶ τῆς] πρὸς τὸν θεὸν αὐτῶν ἐξαιρέτου θρ[η]-
σκείας καὶ τῆ[ς π]ρὸς τὴν πόλι[ν] ἡμῶν εὐ[νοίας · ἐ-]
ποίησαν δὲ καὶ βουλευτὰς αὐτοὺς ἐξαιρέ-
τως τειμῶντες διά τε τὸ ἀξίωμα αὐτῶν καὶ
διὰ τὴν πρὸς τὴν <πρὸς τὴν> πόλιν αὐτῶν
εὔνοιαν, καὶ τἆλλα δὲ τείμια ἔδοσαν αὐτοῖς
ὅσα τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδοται.
Ἄρχοντος Σειμοῦ τοῦ Ἐπάνδρου, μηνὸς
Εἰλαίου, βουλευόντων δὲ Δομιτίου Ὑγίνου,
Οὐρρίου Παύλου, Εὐαμέρου τοῦ Ὀνησιφόρου,
Μηνίου τοῦ Μηνίου.

In quo ceteris neglectis nomen archontis dignum est quod animaduertatur. Simus enim filius illius Epandri est quem buleutae munus suscepisse C. Memmio Euthydamo primum archonte ex *BCH* XXII p. 119 apparet. Ergo quemadmodum Simum Euthydamo archonti τὸ γʹ anteiuisse demonstratur, sic interuallum non ita magnum inter eos extitisse maxime probabile est.

Nunc redeamus ad alterum buleutam qui imp. Titum archontem comitabatur, Agathonem scilicet. Idem sine ullo

tentias neglegenter et incondite structas fusius reprehendam. Neque quattuor iam buleutarum nomina nobis argumento sunt hunc titulum magis quam illum qui Polliano archonte scriptus est (cf. infra) temporibus Traiani aut Hadriani uindicandum esse. Cf. I. Pomtow *Neue Jahrb.* 1889 p. 555 adn. 53 et *Philol.*, LIV, p. 240.

dubio est ac Ti. Iulius Agathon quo archonte hoc decretum factum est.

(In eodem lapide 1319, post eum titulum quem supra descripsi) :

Ἀγαθῆι Τύχηι.
Δελφοὶ ἐτίμησαν Π. Κορνήλιον Λοῦπον Νικοπολείτη[ν]
Ἀμφικτύονα, φιλόσοφον, πολειτείᾳ, βουλ[ῇ κ]αὶ τοῖς
ἄλλοις τιμίοις ὅσα τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀν[δρά]σι δί-
δοται. Ἄρχοντος Τιβ. Ἰουλίου Ἀγάθωνος.

Eosdem plane honores, scilicet πολιτείαν et βουλήν, eidem homini aliquanto post renouatos esse nemo accipiet. P. igitur Cornelius Lupus filius est P. Cornelii Eupori Lupi qui titulo supra scripto et ipse ciuis delphicus et senator factus est. Ergo in illo interuallo quod modo constituimus archonti Agathoni locum quaerendum esse non negabis ; inde habebis hunc ordinem :

ca. 75	Euthydamus τὸ α'.
79-80	imp. Titus.
ab a. 80 usque ad a. 90	[Euthydamus τὸ β'.]
	Simus.
	Agathon.
ab a. 90 usque ad a. 95.	Euthydamus τὸ γ'.

Quibus adiciendus est etiam praeter T. illum Flauium Pollianum quem ante finem primi saeculi archontis munere functum esse certissimum est [1], T. alter Flauius cognomine Soclarus qui Amphictyonum epimeleta nonnullis documen-

1. Manumissionis documentum quo Polliani nomen laudatur *Dialekt-inschr.* 2322 ; fragm. repetitum est *BCH* XXII p. 124.

tis nominatur [1]. Hic quoque, Tithoraeus origine, ciuis delphicus factus est delphicasque dignitates induit : bis enim archon fuit satis longo, ut uidetur, interuallo. Nam titulum hunc [2] primum omnium esse quibus eius nomen illustretur nisi fallor apparebit.

Δελφοὶ ἔδωκαν Γ. Καριστανίῳ Σαγάρι
πολειτείαν αὐτῷ καὶ ἐκγόνοις αὐτοῦ
προμαντείαν, προξενίαν, προδικίαν,
ἀσυλίαν, προεδρίαν, ἀτέλειαν πᾶσαν, γᾶς
καὶ οἰκίας ἔνκτησιν καὶ τἆλλα τίμια ὅσα
τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδοται.
Ἄρχοντος Τ. Φλαβίου Σωκλάρου, βουλευ-
όντων Δάμωνος τοῦ Ποπλίου καὶ Μη-
νίου τοῦ Σωτηρίδα.

Si argumento eodem quo ante usus Damonem Euphrosyni illius patrem fuisse qui buleuta Euthydamo tertium archonte memoratur et — quod probabilitate minus destitutum uidetur — Meniam Meniae illius patrem fuisse qui Simo archonte Μηνίας Μηνίου nuncupatur statuero, ex hoc Soclarum archontis officium primum accepisse fortasse ante imp. Titi annum aut certe paullo post subsumes. Annos igitur circiter uiginti postquam Caristanius quidam mihi ignotus delphica ciuitate donatus est, Caristanio proconsuli, eodem Soclaro iterum archonte, Delphi statuam decreuerunt [3] :

1. *BCH* XX pp. 720-721 ; cf. infra cap. I § IV.
2. N. 901. Ante opisthodomum, calc. lapis muro templi tribuendus.
3. NN. 3721, 3325 : duo marmorei lapides ex monumento quod L. Aimilius de rege Perse Macedonibusque Apollini consecrauerat.

Θεός. Τύχα ἀγαθά.
Ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς Τ. Φλαουίου Σω-
κλάρου, μηνὸς Ἐνδυσποιτροπίου ζ,
ἐν προσκλήτῳ ἐκκλησίᾳ· δόγμα βουλῆς
καὶ δήμου· ἐπειδὴ Καριστάνιος Ἰουλι-
ανὸς ἀνθύπατος, ἀνὴρ καλὸς κἀγαθός, τῆς
τε ἄλλης Ἑλλάδος σεμνῶς καὶ ἀξιολόγως
διέπει τὴν ἡγεμονίαν καὶ τῶν τοῦ μεγίστο[υ]
Αὐτοκράτορος Νέρβα Τραιανοῦ Καίσαρος Σε-
[βασ]το[ῦ Γερμ]ανικοῦ (π)[ρός τε ἡμᾶ]ς καὶ [τὸ]
[ἱερὸν διαταγμάτων εὐσεβῶς καὶ] φιλανθρώ-
[πως ἀποκριθέντων ὡς οὐδεὶ]ς ἄλλος πώποτε
[ἅπτεται, ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ] τῷ δήμῳ μαρτυρῆσαι αὐτῷ
[τὴν προαίρεσιν τὴν ἡμετέραν· ἀνα]στῆσαι δὲ εἰκόνα χαλκῆν ἐν τῷ
[ἐπιφανεστάτῳ τοῦ ἱεροῦ τ]όπῳ, δοῦναι δὲ καὶ αὐτῷ καὶ γένει
[πολειτείαν καὶ προεδρί]αν αὐτῷ Πυθίοις ἀναγορευομένου ἀεὶ
[τοῦ τῆς πόλι]ος κήρυκος· γραφῆναι δὲ καὶ πρὸς Ἀμφικτύ-
[ονας εἰς τὴν ὀπωρι]νὴν πυλαίαν ὅπως κἀκεῖνοι διά τε τὴν
[πρὸς τὸν θεὸ]ν αὐτοῦ εὐσέβειαν καὶ τὴν πρὸς ἡμᾶς εὔνοιαν
[τειμῶσι τα]ῖς πρεπούσαις τὸν ἄνδρα τειμαῖς καὶ γράψωσι
[αὐτῷ?·] ἔδοξε δὲ καὶ τὸ ψήφισμα τοῦτο ἐγχαραχθῆναι
[εἰς τὸ] ἐπισημότατον τοῦ ἱεροῦ καὶ γραφῆναι αὐτῷ ἵνα εἰδῇ
[τὴν τῆ]ς πόλεως ἡμῶν διάθεσιν· πρεσβευτὴς ᾑρέθη Μάρκος
[Πακούι]ος Ὀπτᾶτος.

Quo tempore Caristanius Iulianus proconsule fuerit, titulus ipse docet. Nam u. 10 post ANIKOY litterae cuiusdam uestigia adhuc discernere licet quae aut Γ aut Π aut Ε sed nullo modo Δ fuisse potest. Ergo imp. Traianus nondum Dacicus tum nominabatur. Porro u. 16 et sequentibus collatis non sane probatur, significari tamen mihi uidetur eum qui decretum litteris mandauit proxima Pythia, ad

auctumnalem sessionem duo aut tres menses post Endyspoetropium eiusdem anni celebranda in mente habuisse. Idcirco Soclarum archontem iterum fuisse inter a. 97 et 102 certissimum, a. autem 98-99 uerisimillimum arbitror.

Cuius anni buleutas, quorum nomina inscriptione supra transcripta non adferebantur, ex alio titulo [1] nouimus :

Θεός· Τύχα ἀγαθά.
Δελφοὶ ἔδωκαν Γαίῳ | Ξένωνος φιλοσό[φῳ]
πολειτείαν αὐτῷ [καὶ] | ἐγγόνοις αὐτοῦ, [προ-] |
[μαντ]είαν, προξεν[ί] | [αν], προεδρίαν, προδ[ι]- |
[κίαν, ἀσυλίαν, ἀτέλ[ει] | αν πᾶσαν, γᾶς καὶ ο[ἰκί]- |
ας ἔνκτησιν καὶ τἆλ | λα τείμια ὅσα τοῖς |
καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς | ἀνδράσι δίδοται. |
Ἄρχοντος Φλαβίου | Σωκλάρου, βουλε[υ]-
όντων Φιλλέου το[ῦ] | Εὐβουλίδου καὶ Φιλ-
[λέου τοῦ.......]

Cum neque qua ciuitate ortus sit Gaius neque cuius magistri praeceptis addictus fuerit commemoretur, non tam ualde adfirmauerim quod olim admisi, eundem Xenonis f. fuisse ac philosophum illum inter Platonicos laudatissimum. Testimonia [2] enim ita quadrant ut alteri p. Chr. saeculo potiorem eius uitae partem uindicemus. Philosophos uero, eos saltem qui non simul, ut P. Cornelius Lupus, amphictyonicam dignitatem induerant, non admodum adulescentes sed post ἀκμήν Delphis honoratos esse clarissimo exemplo infra demonstrabitur.

Ad alterum tandem saeculum transeamus in quo hoc statim grauiter ferendum est quod mira calamitate ne uiginti

1. NN. 912, 1130. Lap. calc. ex templi muro.
2. Cf. e. g. *Prosopogr. imp. rom.* I p. 376 (Claudius Galenus).

quidem archontum nomina de illo tempore supersunt quo Delphos denuo floruisse nemo nescit. Spero sane unum aut alterum nomen postquam fragmenta nunc sensu cassa composuerim me illis additurum esse, sed uix quidquam ultra sperandum. Hic quoque ordinem maxime probabilem inuenisse ferat idoneum laboris praemium.

Tempori quo imp. Traianus orbem terrarum rexit tribuendi sunt, puto, tituli qui infra positi sunt, et primum hic[1] :

Θεός. Τύ[χα ἀ]γαθ[ά].
[Δελφ]οὶ ἔδωκ[αν Ἀπ]ολλ[ωνί]ῳ Μεν-
[άνδρου?] Καισαρ[εῖ Τρα]λλια[ν]ῷ καὶ Χ-
[ίῳ ἐπῶν? π]οιητ[ῇ αὐτῷ κ[αὶ ἐγ[γόν]οις αὐ-
[τοῦ πολειτείαν, προμ]αν[τεί]αν, προ-
[δικίαν, ἀτέλειαν πᾶσαν, προ]εδρίαν,
[ἀσυλίαν, γᾶς κ]αὶ οἰκ[ίας] ἔνκτη-
[σιν καὶ τἆλλα τείμ]ια ὅσα [τ]οῖς κα[λοῖς]
[καὶ ἀγαθοῖς ἀνδρ]άσιν δί[δ]οται. Ἄρχ[ον]-
[τος Τι]β. Καλα[ονίο]υ Φίρμου, βουλευ[όν]-
[των Κ]λαυ. Δίω[νος τοῦ Καλ]λιστράτου καὶ Ἑρ....

Non sum nescius pleraque supplementa incertissima esse. Hoc certe restat quod Firmus ille, quodquod est gentilicium eius nomen, idem uidetur esse qui in Plutarchi *Quaestionibus Conuiualibus* II, 3, 3, p. 636 F, loquitur.

Prioris quidem buleutae nomen nihil nos adiuuat, sed ex eo quod pater Callistratus publico munere a. 83 ut infra uidebimus functus est, titulum quo filius nominatur primis saeculi alterius annis recte collocatum esse apparet.

1. NN. 914, 1116, 1124, 1125, 1126, 1129.

Minime autem distat a praecedente archon Babbius Magnus[1] :

Θεός. Τύχα ἀγαθά.
Λ(ούκιον) Ἀρρούντιον Ἑρμείαν
Κορίνθιον Δελφοὶ πο-
λείτην καὶ βουλευτὴν
ἐποίησαν. Στρατηγοῦν-
τος Βαββίου Μάγνου.

Hanc uocem στρατηγοῦντος obiter notemus quae minime noua est sed nouum in usum semel detorta. Vix enim quisquam dubitabit quin Babbius Magnus, ut postea filius eius Maximus, ἄρχοντος titulum quasi longissimo usu tritum aspernatus sit. Ergo ut qui obsoletas res in lucem reducere cupierit, uerbo illo quo Aetolorum olim Romanorumque haud ita pridem praetura designabatur sese appellari praetulit. Et fortasse tamen ex Atheniensium institutis, quibus tunc strategi auctoritas magis pollebat, nomen mutuatus est. Quod incertum relinquo. Nam hoc proprium est aetatis qua reuera senescunt omnia atque in deterius labuntur, pauca propria, ut ita dicam, habere et praesentia ex praeteritis promiscue confluentibus informari uelle.

Quod ad tempus spectat, interuallum inter annos quibus Magnus pater et Maximus filius idem officium gesserunt quindecim aut uiginti annis minus fuisse non potest.

In fragmento quod infra posui[2] notissimum nomen agnosces :

1. In sinistro latere lapidis 1220 (cf. p. 23 adn. 5) trium titulorum qui exarati sunt infimus idemque antiquissimus.
2. In sinistro latere lapidis 1884 qui in antica quoque planitie inscriptus est et ex angulo septentr. orient. muri cecidisse uidetur. Vestigia litterarum aliquot omitto quae post haec incisae tertii decreti initium seruauerunt.

ΟΝΘΕΣΠΙΗΔΕΛ
ΟΝΤΟΣΛΑΜΠΡΙ
ΑΙΕΥΔΩΡΟΥ
ΡΙΑΑΡΧΟΝΤΟΣΠΟΑΙ
ΥΚΑ

Quod legendum esse mihi uidetur sic :

[Nomen. patronymicum ---] ον[1] Θεσπιῆ Δελ-
[φοὶ Δελφὸν ἐποίησαν. Ἄρχ]οντος Λαμπρί-
[α, βουλευόντων — κ]αὶ Εὐδώρου.
[Καὶ προσεδόθη αὐτῷ ἡ προεδ]ρία. Ἄρχοντος Πο. Αἰ-
[λίου Πυθοδώρου, μηνὸς — ο]υ κα'.

Quae si recte restituta sunt, Lampriam Plutarchi fratrem [2] ante P. Aelium Pythodorum de quo mox dicemus archontem fuisse liquet. Huius autem annum, propterea quod praenomen nomenque ab imp. Hadriano accepit, ante a. 117 retrocedere non posse et potius paullo post esse collocandum censeo. Quamobrem Lampriam ultimis Traiani annis aut primis Hadriani uindico.

Imp. ipse Hadrianus bis archontis delphici munus non dedignatus est [3] et prius, si quid uideo, ab initio principatus circa a. 120, iterum uero circa a. 125; nempe tum delphicis rebus, quod testatur maior epistularum eius pars, multum operae nauauit. Alterius tantummodo anni buleutas nouimus, quorum alter Tib. Iulius Hylas fortasse non diuersus est ab illo grammatico qui in Plutarchi *Quaestionibus Conuiualibus* [4] satis pueriliter deridetur; quanquam hunc Atheniensem esse non me fallit.

1. Fortasse φιλόσοφ]ον.
2. De quo cf. *Prosopogr. imp. rom.* III p. 55.
3. *BCH* XX p. 723 : ἄρχ. αὐτοκράτορος Καίσαρος Ἁδριανοῦ τὸ β'.
4. V, 8 et 9.

Ad P. Aelium Pythodorum nunc uenio, cuius nomen in inscriptione nuperrime allata supplere non dubitaui; neque enim alium P. Aelium Delphum e nostris documentis nouimus. Fortasse nepos illius Pythodori quem archontem priore saeculo fuisse monuimus [1], fortasse etiam filius Pythodori cuiusdam de quo in Traiani epistulis agitur, P. hic Aelius fuit, qui archon erat cum C. Iulius Eudaemon Atheniensis honoratus est [2]. Porro ex uerbis quae huic titulo subiecta sunt, ἐνείκαδε καὶ Πύθια, non temere intuleris Pythodori anno Pythia celebrata esse. Nam aut quadratarius ea postmodo adiecit aut, quod probabilius mihi uidetur, decretum factum est ante Pythia, in primo ut puta anni mense, et post ludos peractos Eudaemonis uictoria insculpta est. Ergo aut a. 119 aut a. 123 Pythodoro tribuere cogimur.

Buleutarum uero qui eodem anno suo munere functi sunt neuter est praetereundus. Nam hoc titulo [3] :

Θεός. Τύχα ἀγαθά.
Γ. Ἰούλιον Καπίτωνα Μακεδόνα Δελ-
φοὶ Δελφὸν ἐποίησαν καὶ τὰ ἄλλα πάντα
ἔδωκαν ὅσα τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς ἀν-
δράσι δίδοται. Ἄρχοντος Αἰλίου Πυθο-
δώρου, βουλευόντων Ἀβιδίου Ὀνησι-
φόρου καὶ Πακουίου Ὀπτάτου.

nomina duo adferuntur quae non primum hic occurrunt. Nempe hic Onesiphorus, qui nomen ab uno aut altero Aui-

1. Cf. p. 22.
2. *BCH* XVIII p. 98 et XIX p. 548. Fragmentum quoque quo extrema pars Πυθοδώρου nominis adseruatur erutum esse paene pro certo habeo.
3. N. 4069.

dio sed Nigrino potius tulit, illius Onesiphori nepos uidetur esse quem in decreto quod Simo archonte perscriptum [1] est nominatum reperimus. M. autem Pacuuium Optatum qui legatus ad procos. Caristanium Iulianum a Delphis electus est, diutius quam uiginti annos expectasse antequam buleutae dignitatem indueret uix accipias. Quapropter inter duos illos annos quorum Pythodorus eponymus esse potuit praeferendus est prior, 119 scilicet.

Sed et idem Optatus quem cum Plutarcho amicitia coniunctum fuisse probabile est [2], suo loco archon fuit (N. 1272, ubi non scripta sunt, ut saepius, buleutarum nomina).

Aut paullo ante Optati annum, aut paullo post, sed utique non longo interuallo, incisus est hic titulus [3] cuius iam mentionem feci :

Πό(πλιον) Ἐγνά(τιον) Πο(πλίου) Ἰρησιανὸν Πεῖο[ν Νι]κοπ[ολίτην Δελφοὶ]
Δελφὸν ἐποίησαν καὶ βουλευτήν, [ἔδοσάν τ]ε
αὐτῷ καὶ ἐκγόνοις αὐτοῦ ἃ τοῖς καλοῖς καὶ ἀγα-
θοῖς ἀνδράσιν δίδοται, προμαντείαν, προνομίαν,
γᾶς καὶ οἰκίας ἔνκτησιν. Βασιλεύοντος Βαβ(βίου)
Μαξίμου, βουλεύοντος Φλ. Ἀριστοτίμου.

Mirari sane licet et illud προνομίας ius quod perraro in delphicis titulis memoratur nec profecto tunc eandem uim quam superioribus saeculis seruauerat, et βασιλεύοντος dignitatem qua Babbius Maximus semetipsum ornauit :

1. Cf. p. 25.
2. Loquitur Optatus quidam in libelli qui *de sollert. animal.* inscribitur c. VIII, p. 965 D.
3. NN. 1543, 1493, 1413.

memoriam eum ueteris tituli reuocasse qui Athenis etiamtum erat archontis βασιλέως obserues quaeso.

Maximi uero annum ex Fl. Aristotimi buleutae nomine qui sacerdos post Antinoi mortem fuit [1] non posse nisi ante a. 130 incidere sumendum est.

Hadriano imperante, Cteson quoque, Soteri f., qui eo imperatore iterum archonte rogationem tulerat [2], archontis munere functus est (NN. 65 et 508, ex thes. Athen.) ; et sub finem eiusdem principatus aut in primis Antonini annis collocandus uidetur esse Aphasius Callicrates propter praenomen nomenque P. Aelii Myronis procuratoris Boeotiae qui delphicis praemiis donatus est [3].

[Ἀγαθῇ] Τύχῃ.
[Δ]ελφοὶ ἔδ[ωκ]αν Π. Αἰλίῳ Μύρωνι Σεβ.
[ἀ]πελευθέ[ρ]ῳ, ἐπιτρόπῳ Βοιωτίας,
πολειτεία[ν] καὶ βουλευτείαν καὶ
ἄλλας τει[μὰ]ς ἁπάσας ὅσαι τοῖς
καλοῖς καὶ [ἀγ]αθοῖς ἀνδράσι δί-
δονται ἐπὶ [κα]λοκἀγαθίᾳ.
Ἐπὶ ἄρχοντ[ος Ἀ]φασίου Καλλικρά-
τους, μηνὸς Ἀπελ]λαίου.

De nonnullis archontibus quorum locum accuratius definire nequeo, quos — neglecto scripturae testimonio quod non multum illis temporibus ualet — aut Hadriani aut Septimii Seueri principatui sine ullo fere discrimine tribuerim pauca disseram. Sed ante de duobus titulis dicendum

1. Cf. p. 17.
2. Cf. p. 14 et *BCH* XX p. 723 u. 4.
3. NN.539, 1513. In ultimo u. uestigia prioris Λ satis dilucide discernuntur ut restitutio Ἐ[ἰ]λαίου abicienda sit.

est, quorum priore ne imp. quidem Antoninum Pium delphici archontis dignitatem respuisse traditur[1]. Initium et maior pars desiderantur :

. . . .
[ὅσα τοῖς καλοῖ]ς ἀν[δράσι]
[δίδοτ]αι ἐπὶ καλοκά[γ]α[θίᾳ].
Ἄρχ(οντος) Αὐτοκράτορος Ἀν[τωνεί]-
νου.

Quem Delphos nunquam uenisse consentaneum est, munus uero accepisse suspicor ad exemplum patris adoptiui et ut adulantibus Graeculis gratificaretur.

Alter autem archon, cuius anno philosophus Taurus honoratus est, suum locum ut dixi obtinet[2], sed duo simul decreta quae in superiore eiusdem lapidis[3] parte incisa sunt hic describenda esse puto.

Δελφοὶ ἔδωκαν Λ. Καλβήνῳ Ταύρῳ, Βηρυτίῳ, φιλοσόφῳ πλατωνικῷ αὐτῷ καὶ τέκνοις αὐτοῦ πολειτείαν, προξενίαν, προδικίαν, γᾶς καὶ οἰκίας ἔνκτησιν καὶ τἆλλα τείμια ὅσα τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδοται. Ἄρχοντος Τιβ. Ἰουλίου Ἀρισταινέτου.

Δελφοὶ ἔδωκαν Βακχίῳ Τρύφω[νος, καθ' ὑοθεσίαν] δὲ Γαίου, Παφίῳ, καὶ Ζωσίμῳ τῷ καὶ Σω...... Χαροπείνου καὶ Κλαυδίῳ Νεικοστράτῳ Ἀθηναίοις καὶ Μ. Σεξτίῳ Κορνηλιανῷ (Μαλλώτῃ) φιλοσόφοις πλατωνικοῖς αὐτοῖς καὶ τέκνοις αὐτῶν πολειτείαν, προξενίαν, προδικίαν, γᾶς καὶ οἰκίας ἔνκτησιν καὶ τἆλλα τείμια ὅσα τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδοται. Ἄρχοντος Εὐβουλίδου τοῦ Εὐβουλίδου.

1. In sinistro latere lapidis 1220 (cf. p. 23 adn. 5) summa eademque recentissima inscriptio.
2. De Aristaeneto sacerdote cf. p. 15.
3. N. 1408.

Taurus quidem notissimus est[1] licet libris Gellii manuscriptis perperam Caluisius nominetur : L. Caluinus Taurus, Berytius, cuius ἀκμῇ a. 145 uindicatur, inter magistros Herodis Attici fuit et Luciani quoque, si quidem nihil obstat quin eundem fuisse atque illum arbitremur cuius libellus *Hermotimi*[2] nomine inscriptus mythicos sermones refert. Eum uero « Delphos ad Pythia conuentumque totius ferme Graeciae uisendum » isse narrat Gellius[3]; qui cum haec addiderit « cum nos ei comites essemus », reipsa praebuit unde Pythia illa simul atque Aristaeneti munus certo anno tribui possent. Gellius enim Romam rediit ante Peregrini Proteos mortem, i. e. ante a. 165[4]; sed cum in Graecia tantummodo inter a. 160 et 165 uersatus sit, Pythia nulla nisi a. 163 spectare potuit. Sic Aristaenetum archontem, dein sacerdotem Antiphanemque archontem ordinare cogimur.

Eubulides autem, nepos Philleae illius, Eubulidae f., quem buleutam fuisse Soclaro iterum archonte nouimus[5], eiusdem fere temporis est. Paucos enim annos post aut fortasse ante[6] Aristaenetum eum archontem fuisse opinor, non solum quia uterque titulus eadem manu exaratus est, sed etiam propter nomen philosophi qui primus inter platonicos

1. Cf. testimonia *Prosopogr.* I p. 295 congesta. Taurus ciuis romanus fuit, ut omnes qui scholis philosophorum praeerant : cf. Diels, *Archiv f. Geschichte der Philos.* 1891 p. 490.
2. *N. A.* XII 5, 1.
3. Cap. 24 ed. Fritzsche.
4. Cf. ed. Hertz. maior. praef.
5. Cf. p. 29.
6. Potius ante, quia in decreto quo Taurus delphicam ciuitatem accepit u. 3 extremae litterae ΝΟΙΣ minores scriptae sunt, quod testari uidetur in dextra lapidis parte iam alterum titulum antea insculptum fuisse.

laudatur. Nempe Bacchius, a Gaio adoptatus (καθ' ὑοθεσίαν u. 1 per compendium scriptum fuit), primus M. Aurelium docuit qui gratissimus discipulus ei grates egit (I, 26). Gaius uero praeclarus ille est platonicus quem supra dixi ac diuersus a Xenonis cuiusdam filio qui sexaginta circiter annis antea honoratus est [1]. Et Bacchii pater Tryphon propter temporis interuallum non idem est ac stoicus platonicusque a Porphyrio celebratus [2].

Zosimo, Charopini f., alterum nomen erat, praeposita τῷ καὶ formula ut solebat, quod Σω[τ]ί[μῳ] fuisse (nam uestigia litterae I me uidisse puto) dubitanter propono. Sed nihil certum de eo aut de ceteris, Atheniense scilicet et Mallota [3], comperi; Claudius enim Nicostratus fieri non potest ut idem fuerit qui *Anthol.* XI 354 nominatur.

Quattuor insuper extant archontum nomina quos ad alteram partem alterius saeculi referam; sed si unus aut alter usque in primos tertii annos demittetur uel contra in Traiani Hadrianiue principatum retro reducetur, non equidem repugnabo, nedum cuiusque annum determinare audeam.

Tib. tamen Iulium Assidum et Aurelium Cleopatrum satis fidenter tribuo temporibus Antoninorum.

1. Cf. decretum p. 29 descriptum.
2. *Vitae Plot.* XVI.
3. Μαλλώτῃ in spatio inter u. 3 et 4 non expedite legitur, dispicitur tamen. Fortasse putaueris illum Cornelianum esse cui Phrynichus librum dedicauit : cf. *Prosopogr.* I p. 438. Bene enim tempus conuenit quandoquidem hunc ab epistulis M. Aurelii et Commodi fuisse constat. Sed si ea acceperis, non certe confundendus erit hic cum Metrophanis sophistae patre quem Lebadea ortum fuisse testatur Suidas.

Quorum priorem hoc documento [1] nosces :

Θεός. Τύχα ἀγα[θά].
Φάβιον Φάλερνον Π[ά]|φιον Δελφοὶ Δελφὸ[ν]
ἐποίησαν καὶ τὰ ἄλ[λ]|α ἅπαντα ἔδωκαν
ὅσα τοῖς καλοῖς κα[ὶ] | ἀγαθοῖς ἀνδράσι δ[ί]-
δοται· Ἄρχοντος Τ[ιβ.] | Ἰουλίου Ἀσσίδου, βο[υ]-
λευόντων Τιβ. Ἰου[λ]|ίου Πρυτάνεως κα[ὶ]
Διονυσίου τοῦ Διον[υσίου].

Quo adiuuante hic [2] quoque restituitur titulus :

[Θ]εός. Τύχα ἀγαθά.
[. Οὐαλέ]ριον Ἁρποκρατίονα Δελφ[οὶ]
[Δελφὸν ἐ]ποίησαν καὶ τἆλλα τείμ[ια ἔδοσαν]
[ὅσα τοῖς καλο]ῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδρ[άσι δίδοται.]
[Βουλευόντων Τιβ. Ἰουλίου Π]ρυτάνεως καὶ Διον[υσίου τοῦ Διονυσίου]·

Non idoneum suppetit spatium in quo archontis nomen adscribatur, atque adeo prioris buleutae nomen et praenomen per compendium scripta fuisse probabile est. Quemadmodum enim non semel archontem sine buleutis nominatum, sic nunc buleutas sine archonte memoratos uidemus : quod altero exemplo confirmatur [3].

Valerium autem Harpocrationa si illum fuisse iudicaueris qui λέξεις τῶν δέκα ῥητόρων collegit, hunc archontem M. Aurelii et L. Veri aetati recte assignari inferes.

1. N. 900. Lapis calc. ex muro templi (Opisthod.), in antica planitie et in utroque latere inscriptus. Longit. 0 m 95. Huius decreti, in dextro latere exarati, nonnullae litterae quae in extremis uersibus desunt in altero lapide incisae erant. Titulus quem ex fragm. 1231, 384, 2184 coniunctis effeci eiusdem archontis eorundemque buleutarum est.
2. N. 3277.
3. Lap. 1557, ubi tantummodo Auidii Onesiphori et Pacuuii Optati buleutarum nomina exarata sunt, omisso archontis (P. Aelii Pythodori) nomine.

[M.] autem Aurelio Cleopatro archonti tribuendum mihi uidetur esse decretum unum, n. 3426, quo Claudius Callicrates Atheniensis honoratus est.

Duos deinceps archontes catalogo nunc addere licet, quamuis quo tempore officio functi sint definire nequeam. Alter Pantaleon Pantaleontis f. titulo nominatur n. 1409 quo Claudius quidam Vitalianus Corinthius in ciuitatem atque etiam in senatum delphicum acceptus est. Cum nullo argumento nisi eo quod litterarum forma praebetur uti possim, haud scio num recte illum magistratum alteri saeculo uindicauerim.

Et idem fere dici potest de Nicostrato cuius post annum ἀναρχίαν [1] extitisse hoc documento [2] comperimus :

[Δελφοὶ ἔ]δωκαν Κυπρίῳ Σαλαμινίῳ.....
...? [Γε]λλίου Πύρρου υἱῷ Κοίντῳ Αδ......
.... μῳ καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ Κλ[αυδίᾳ
... ίᾳ καὶ τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ καὶ τῇ θ[υγατρὶ]
[αὐτοῦ, αὐτ]οῖς τε καὶ τοῖς ἐγγόνοις α[ὐτῶν]
[πολειτεία]ν, προμαντείαν, προξενία[ν, ἀσυλί-]
[αν, προδικ]ίαν, προεδρίαν, ἀτέλειαν πᾶ[σαν, γᾶς]
[καὶ οἰκίας ἔ]νκτησιν, καὶ τἆλλα τείμια ὅσα τοῖς κ[αλοῖς κἀγα-]
[θοῖς ἀνδράσι]ν δίδοται. Μετὰ τὴν Νεικοστράτου το[ῦ ......
[ἀρχήν, βουλευ]όντων Τι. Ἰουλίου Πατρίκου καὶ Κλέωνος τ[οῦ....

In ultimis tituli uersibus litterae minores exaratae sunt. Post illa quae prolixius recensui, i. e. per tertium saeculum, silent lapides : magistratuum sane nomina nusquam inuenimus, et uix quidquam de Delphis nossemus nisi imperatoriarum epistularum fragmenta aliquot seruata essent. Sed forte titulus extat in primis quarti saeculi annis incisus de quo infra agetur ; statim uero indicandum est quando scriptus sit : impp. Constantino et Liciniano Licinio coss. (quartum), a. 315 scilicet, Babbium Aurelium Philis[tionem] Delphis archontem fuisse docemur.

1. Cf. *IG* III 1018 *a*, 1032 : ἐπὶ τοῦ μετὰ τόν δεῖνα ἄρχοντα ἐνιαυτοῦ.
2. N. 3781. Quo documento suppleri possunt extrema uerba alterius decreti cuius fragmenta 746, 2288, 3757, 817, 1804 congerere coepi quodque in basi a L. Aimilio dedicata insculptum erat. Fortasse in priorem secundi saeculi partem ille Nicostratus reducendus est.

III. — DE DEMIVRGIS

Ex omnibus quae hactenus dixi, reipublicae statum quod ad formam certe et speciem attinet non multum commutatum esse apparet. Libertatis enim nomen Delphis ab omnibus fere imperatoribus quasi uno tenore asseueratur atque liberae ciuitatis instituta uidentur esse, etsi insolenti libidine archontis memoria bis est neglecta. Nempe decreta ut superioribus temporibus feruntur a populo, uerbo Δελφοί tantum posito pro illo sollemni ἔδοξεν τᾶι πόλει, et buleutarum nomina frequenter etiam nunc testantur προβούλευμα in consilio delphico propositum ac statutum esse. Etiam illud δόγμα βουλῆς καὶ δήμου, quod semel inuenimus in titulo alioquin latius fuso, pro antiqua formula in breuius redacta haberi potest : quamobrem hic saltem non nominantur buleutae. Idem significari liquet illo compendio ψ. β. δ. quod saepissime occurrit.

De ipso consilio paucissima dicam, propterea quod mox edentur documenta uere mirabilia quibus delphicam βουλήν progrediente tempore foede deprauatam esse traditur. Nam

incredibile memoratu est quibus funambulis circulatoribusque data sit non solum ciuitas, sed etiam ius consilium ingrediendi, quam βουλευτείαν appellabant. Neque nescius sum procerum familias tunc paene exstinctas fuisse : quorum in locum ut muneribus fungerentur sufficiendi sane erant aduenae, sed aegre ferre licet eos non omnes Hyginos Soclaros Plutarchos fuisse.

Alius autem fuit magistratus quem Delphis antiquitus extitisse nouimus, de quo paullo plura inscriptionibus imperatoriae aetatis docemur, δαμιουργούς dico. Non equidem in mente habeo omnia omnium ciuitatum graecarum et praesertim asianarum documenta congerere quibus demiurgi nominantur : Delphis uero, ut paene ubique, ciuilibus rebus multo magis quam sacris operam dedisse mihi uidentur [1]. Quod iam dici potest de iis qui in phratria Labyadarum multam indicabant [2], melius etiam de illo Callida qui decretum quoddam incidendum curauit [3]. In fragmento edicti misere trunci (n. 1144), quod de re rustica positum fuisse ex uerbo γεγεωργηκότας sumendum est, u. 3 sic legitur : ... ειν. Εἰ δέ τις δαμιουργῶν ἢ βουλε[ύων.... unde suspicari licet eius collegii auctoritatem, etsi perraro in inscriptionibus memoratur, non tamen

1. Ne plura dicam, titulus rhodiacus *IG* XII 1, 705 ubi δαμιουργήσαντος et ἱεροποιῶν uocabula continuantur potissimum adfert exemplum, demiurgum per se ipsum sacerdotem non fuisse. Si quis uero ex tituli *IG* IX 32 uu. 44-46 colligere uult rebus sacris studuisse Medeonios demiurgos, interpretationem mihi quidem non probat. Illic enim uerbum δαμιοργεόντων (τὰ ἱερά) in uniuersum dici liquet neque ad magistratum dilucide designatum pertinere.

2. *BCH* XIX p. 12 u. 19 : αἰ δέ τι τούτων παρβάλλοιτο, θωεόντων τοί τε δαμιοργοὶ καὶ τοὶ ἄλλοι πάντες.

3. *BCH* XVIII p. 77 u. 10.

minimam fuisse. Hoc autem titulo [1] nunc primum quid ualuerint illustratur.

Θεός. Τύχα ἀγαθά.
Μηνὶ Ποιτροπίῳ γ', ἐν ἐννόμῳ
δαμιουργίῳ · ἔδοξεν τοῖς
δαμιουργοῖς Γ. Ἰουλίῳ Πούδεν-
τι φρουμενταρίῳ λεγιῶν(ο)ς πρώ-
της Ἰταλικῆς στρατιώτῃ ἐπὶ τῶν
ἔργων ὄντι τῶν κατασκευαζομέ-
[ν]ων ὑπὸ τοῦ κυρίου Καίσαρος Τρα-
[ιαν]οῦ Ἁδριανοῦ Σεβαστοῦ, καλῶς
[καὶ] αἰδημόνως ἐπιδημοῦντι, δο[ῦ]-
ναι πολειτείαν.
[Ἄ]ρχοντος Αὐτοκράτορος Καίσαρος Τρα-
ιανοῦ Ἁδριανοῦ Σεβαστοῦ.

Iamdudum quidem constat inter imperatores Hadrianum praesertim in prouinciis omnia « per frumentarios explorasse », cuius rei nouum exemplum et maxime dignum quod retineatur habemus. Nempe illis ἔργοις quae Hadrianus Delphis confici iussit nihil aliud quam aedificia noui Pylaeae suburbii designari opinor ac postea demonstrare conabor. Praetermitto quoque eum qui decretum litteris mandauit ioco satis elaborato uocem in hoc genere admodum inusitatam αἰδημόνως *Pudenti* adhibuisse. Nostri magis interest demiurgos semel sane consilio populoque delphico suppares declarari de impertienda ciuitate. Nunc

1. In sinistro latere lapidis 1220 (cf. pp. 24 et 32 adn.) medius titulus. V. 5 legitur λεγιωνης mero errore puto quadratarii propter duo uerba quae sequuntur similiter cadentia.

enim demum intellegimus quid significauerit in Cnidio quodam documento [1] illa σίτησις ἐν δαμιοργίῳ facta et planius etiam Aristotelis uerba haec [2] : οὕτω καὶ Λαρισαίους τοὺς ὑπὸ τῶν δημιουργῶν πεποιημένους, i. e. inter ciues eos qui a demiurgis ciuitatem acceperunt.

Quam multi in legitima sessione et num perpetui fuerint non comperimus, sed cum et initio quarti p. Chr. saeculi προστάτην [3] semper eis praefuisse tradatur, hoc nomen in fragmento [4] quod infra posui fidenter suppleui :

[Τὸ κοινὸν τῶν Ἀμφικτυόνων καὶ ἡ Δελφῶν]
[πόλις ἔδωκαν Ἀρισ?]τοκλῇ. . . . .
[Ἀμφικτύονι] Νεικοπολείτῃ[πολειτείαν, προ-]
[ξενίαν, προ]εδρίαν, προμαντ[είαν, γᾶς καὶ οἰ-]
[κίας ἔνκτη]σιν καὶ ὅσα ἄλλα το[ῖς καλοῖς καὶ]
[ἀγαθοῖς ἀν] δράσιν εἴωθε δίδ[οσθαι παρὰ τῇ πόλει]
[ἡμῶν διὰ] τὴν περὶ τὸν θεὸν[εὐσέβειαν καὶ]
[διὰ τὴν π]ερὶ τὴν πόλιν εὔνο[ιαν˙ἀναγράψαι]
[δὲ τὸ δόγμα το]ῦ ἱερωτάτου συν[εδρίου τὸν προστά-]
[την τῶν δαμιο]υργῶν τὸ ἕβδομο[ν nomen et
patronymicum] <

Nullum enim consilium, quandoquidem de romano senatu non agitur, praeter amphictyonicum Delphis nuncu-

1. T. C. Newton *Cnidus*... n. 52, p. 766 : qui liber mihi in promptu non est, locus uero adfertur a G. Gilbert, *Handbuch d. gr. Staatsaltert.* II p. 172 adn. 1.
2. *Polit.* III 2 p. 1275 *b* 29.
3. Cf. infra p. 45. Προστάτας τῶν δαμιοργῶν ex altero a. Chr. saeculo habes *BCH* XVII p. 357, n. 32, et Wesch. Fouc. 411 unum προστάταν, τῶν δαμιουργῶν scilicet.
4. N. 1195. In u. 10 post < folium aspicitur cum incuruato pediculo.

pari potest sanctissimum. Praemia igitur etsi ad res delphicas maxime spectant ab Amphictyonibus quoque dari hic ut saepius alibi constat. Προστάτην uero unum nominatum esse propterea statuo quod in titulo quem modo commemoraui unus προστάτης adest : quanquam duos etiam occurrere nemo nescit. Vtcumque est, hoc certe demonstratur praesidem illum annuum fuisse, sed magistratum iterum atque iterum continuauisse.

Postremo documentum magni momenti de quo iam in transcursu dixi propius inspicere uolo, licet non omnia mihi plane perspicua apparere fatear [1].

Ἀγαθῆι Τύχ[ηι].
[Ὑπατ]είᾳ τῶν [κυρ]ίων ἡμῶν Φλαβ. Οὐαλ. Κων[στανίνου Σεβαστοῦ τὸ δ']
καὶ Φλαβ. Οὐαλ. Λικιννιανοῦ Λικιννίου Σ[εβαστοῦ τὸ δ'. . . .]
ἐπὶ ἄρχ[ο]ντος ἐν Δελφοῖς Βαβδίου Αὐρ. Φιλισ[τίωνος, μηνὸς—,]
ἔδοξεν τοῖς δαμιουργοῖς κατὰ τὴν εἰσήγ[ησιν τοῦ ἀριστοπολίτου]
καὶ πυθοχρήστου ἐξηγητοῦ καὶ προστάτο[υ διὰ βίου τῶν δαμιουργῶν]
Λουκίου Γελ[λί]ου Μηνογένους τὸ δόγμα [ἐπανορθοῦσθαι τὸ περὶ]
τῶν χρημ[άτω]ν ὧν ἐχαρίσατο αὐτός τε κα[ὶ Αὐρηλία Ἰουλία Σωτία]
τὸν ἀριθμὸν μυριάδων ἑκατὸν ἁπλῶν ἐφ'[ᾧτε θυσίαν ποιεῖσθαι καθέτος]
μα[ίῳ] μηνὶ ὃ ὁ προστάτης ἐπηρώτησεν.[Γνώμην δὲ εἰσενεγκόντος τοῦ]
ἀριστο[π]ο[λίτο]υ καὶ ἐξηγητοῦ καὶ προστάτου δ[ιὰ βίου τῶν δαμιουργῶν]
Λουκίου Γελλίου Μηνογένους ὑπὲρ τοῦ σῴζεσ[θαι τῇ πόλει τὸ ἥμισσον]
ὧν ἔδοσαν ἀμφότεροι διὰ εὔνοιαν ἣν ἔχου[σιν εἰς τὴν πόλιν, χωρίζεσθαι τὰς]
πεντήκοντα μυριάδας σινπλαρίας ἃς ἔδωκ[εν αὐτὸς ὁ προστάτης καὶ]
μεταπαραδιδόναι τοῖς μετ' αὐτοὺς ἐσομένο[ις δαμιουργοῖς καὶ τῇ γυναικὶ]
Αὐρηλίᾳ Ἰουλίᾳ Σωτίᾳ τὰς αὐτὰς πεντήκον[τα μυριάδας σινπλαρίας ὥστε]
κατασχόντας ἐνιαυτὸν εἰς τὴν λοῦσιν τῶν βα[λανείων χρήσασθαι, καὶ]
ἵνα μηδεμ[ία] κακουργία περὶ αὐτὰ μηδέποτε γ[ένηται καταθεῖναι ταῦτα τὰ]
[χρήματα π]αρ' Ἀντισθένει. Οἱ δαμιουργ[οὶ ἐψηφίσαντο]˙

1. NN. 2459, 1818, 1829, 1779. Quattuor fragmenta, sed spero fore ut plura coniungam, marmoreae tabulae, 0 m. 06 crassae, quae in uicinia

Littera C u. 3 initium uerbi Σ[εβαστοῦ] est; titulus igitur ille tribuendus est anno 315, quo imp. Constantinus et Licinianus Licinius Aug. coss. quartum fuerunt.

Quae suppleui maxime dubia esse neque interpretationi omnia satisfacere non sum nescius. Dicam tamen quid mihi uideatur : de donatione quadam sane agitur, sed hoc mea quidem sententia rem facit ancipitem, eundem hominem esse qui donationem illam instituendam declarauit et qui propterea quod demiurgis praeerat de ea ipsa derogationem tulit. Atque primum pecuniam totam in aliqua re consumendam esse uoluit, uelut sollemni quodam sacro; deinde dimidium saltem detrahi placuit et in usum publicum ita seruari ut lauarentur balnea. Sed quemadmodum in uniuersum mihi liquet, sic in singulis haereo, paucissimaque de eis quae adieci asseuerare audeam. Etiam de nonnullis uerbis quae aetatem tulerunt nihil habeo quod proponam : quid enim sint illae σινπλαρίαι (= ἁπλῶν u. 9) scire uelim, uerbum autem ab Vlpiano tantum uenditionis cuidam generi adhibetur neque de nummis usquam usurpatur. Atque etiam quid u. 17 significetur condicione illa pecuniae in annum retinendae et quomodo hoc cum ceteris congruat nescio.

Vnum certe demonstratur, quod iam dixi, demiurgos rebus ciuilibus operam maxime nauauisse. Neque obici potest eos de donatione ideo pronuntiauisse quod eorum προστάτης idem erat qui pecuniam suam testamento relinquendam curabat. Nam si alius ciuis esset, de donatione nihilominus decreuisset collegium. Itaque illo quoque

frontis templi et magni altaris, quoad ex locis ubi fragmenta effossa sunt sciam, posita fuit. In hoc titulo enucleando non nihil adiutus fui ab doctissimo amico P. Jouguet.

documento quid ualueriut demiurgi in re publica administranda apparet, quandoquidem legatum in publicum factum accipiunt. Nec mirum est pecuniam apud Antisthenem depositam esse qui eodem δημοσίου τραπεζίτου munere functus est quo e. g. Pleisteas quidam in Phocensium multa repetunda [1].

IV. — DE AMPHICTYONVM EPIMELETIS.

Quid noui inscriptiones aetatis imperatoriae de concilio amphictyonico attulerint altero capite explicare tentabo. Nec mirum lucrum citius praedicandum est, sed opportunius de amphictyonia in nouum statum redacta disseremus cum ad imperatores uenerimus qui illam rerum commutationem perficiendam curauerunt. Habemus contra cur de Amphictyonum epimeleta hic disceptemus eumque numero magistratuum qui Delphis munere suo functi sunt adscribamus, licet primo adspectu Panhellenius potius esse uideatur.

Sed priusquam quid sentiam aperte declarem, seorsim eum ponam necesse est ab illo Amphictyonum scriba quem ex inscriptionibus superiorum temporum [2] cognouimus. Hunc etiam altero aut tertio p. Chr. saeculo extitisse titulus n. 2798 nobis documento est : nam M. Iunius (Thra?)seas ibi planissime γραμματεὺς τοῦ κοινοῦ appellatur, neque cum in eo glorietur quod Pythiae cuiusdam erat pronepos confundi tamen potest cum epimeleta qui multo plus auctoritate ualuit.

1. *IG* IX 110.
2. Cf. e. g. *Dialekt-inschr.* nn. 2519, 2520, 2522, etc.

Nonnulli uero iam in titulis occurrerunt occurrentque alii insuper non ita multi quibus omnibus epimeletae nomen utrum merito attribuatur necne ante omnia diiudicandum est. Vocem enim ἐπιμελητεύοντος quae *CIG* 1713, in basi statuae imp. Hadriano consecratae, ante Plutarchi nomen (mihi liceat notissimo exemplo uti) legitur de nulla alia re nisi de cura illius statuae ponendae G. Dittenberger accipiendam esse censuit [1], perperam si quid uideo. Nam exemplum quam simillimum in Theocle Eudami f. Nicopolitano habes, cuius nomen supplendum esse in basi statuae imp. Tiberio dedicatae [2] iamdudum monui [3]. Quem titulum hic expedit repetere quippe cuius fragmentum postea repertum iustum praebeat finem [4] :

[Αὐ]τοκράτορα
Τιβέριον Καίσαρα
θεοῦ Σεβαστοῦ υἱὸν
Σεβαστὸν τὸ κοινὸν
τῶν Ἀμφικτιόνων κα[θι]-
έρωσεν, ἐπιμελητ[εύ]ον-
τος αὐτῶν Θεο[κ]λέους
τοῦ Εὐδά[μου] Φιλοκαίσα-
ρος [Νικοπολε]ίτου.

Vnum sane differt, uerbum αὐτῶν scilicet u. 7 usurpatum pro illo ἀπὸ Δελφῶν quod exhibet Plutarchea inscriptio et quod deinceps enucleare tentabo. Sed titulum

1. *Syll. Inscr. Gr.* 379, adn. 2 ; cf. 372 adn. 1.
2. N. 203, *BCH* XX p. 708.
3. *BCH* XXI p. 475.
4. NN. 203 + 3868, cuius fragmenti notitiam debeo benignitati amici P. Fournier.

qui *BCH* VI p. 450 publici iuris factus est cum nostro conferas quaeso, atque animaduertas illic Theoclem dilucide ἐπιμελητὴν τῶν Ἀμφικτιόνων nominatum esse. Facile tunc sumes, opinor, utroque loco uoce ἐπιμελητεύοντος nihil nisi quandam dignitatem magistratumque proprie designari et uerbo αὐτῶν iterum significari amphictyonicum concilium [1] cuius de sententia egit Theocles. Eundem magistratum in documentis iam notis [2] quibus Soclari Petraei Eubioti nomina illustrantur illud ὑπὸ τὴν ἐπιμελητείαν aut ἐν τῇ ἐπιμελητείᾳ manifesto significat.

Quod fortasse non ualet de titulo quodam Ceo quem idem uir doctissimus commentariis ornauit [3]. Nempe de eadem uoce ἐπιμελητεύοντος eos errauisse statuit qui Augusti Boeckh exemplum secuti eam ad magistratum ab Atheniensibus insulae impositum rettulerunt. Illam enim, testimonio praeterea atticarum inscriptionum [4] adlato, cum altera ἐπιμεληθέντος promiscue usurpari demonstrauit. Neque de Ceo neque de Athenis equidem nunc habeo cur dissentiam, sed quod ad Delphos pertinet admodum diuersa res est. Itaque si quid de illis uiris quos supra nominaui et de quibusdam aliis tituli docuerint colligendi licentiam impetrauisse mihi uideor.

Adde quod ne argumentum quidem quo G. Dittenberger usus ad opinionem minus aptam ductus erat re ipsa confirmatur. Nam omnes quos epimeletarum munere functos esse certum esset origine fuisse Nicopolitanos contendebat,

1. Pro eo quod est τὸ κοινὸν τῶν Ἀμφικτυόνων alibi οἱ Ἀμφικτύονες uocantur.
2. E. g. *BCH* XX pp. 720-721, 724.
3. *Syll. Inscr. Gr.* 396 adn. 2.
4. Praesertim *IG* III 393, 532.

oblitus sane illius Callistrati Leontis f. Delphi, σοφιστοῦ cognomine apud aequales insigniti, quem Plutarchus his uerbis memorat [1] : ἐν Πυθίοις Καλλίστρατος τῶν Ἀμφικτυόνων ὢν ἐπιμελητής. Eodem magistratu decorati sunt quattuor aut quinque Hypataei et Tithoraeus Soclarus, quibus adiungendos esse Delphos nonnullos praeter Callistratum uerisimile, Chaeronensem uero Plutarchum certissimum est.

Minime profecto Nicopoleos laudem minuere uolo, quam spero contra illustraturos esse noua plane luce delphicos titulos in corpus collatos. Sed tantum abest ut omnes epimeletae ex illa urbe originem duxerint, ut eorum qui non Delphis nati erant quam plurimos delphica ciuitate donatos esse probabile mihi uideatur. Cuius rei exempla quattuor nunc referam. Decreti enim fragmentum extat n. 2783 quo Theocles Philocaesar Nicopolitanus laudatur : ibi de uerbis δοῦναι αὐτῷ πο[λειτείαν] controuersia fieri non potest. Dein hoc quod in basi statuae [2] insculptum erat quasi luculentissimum simul ac breuissimum documentum proponatur :

Ἀγαθῇ Τύχῃ.
Ἰουλίαν Χρυσέαν, Ἰουλίου | Σελεύκου θυγατέρα,
γυναῖκα Τιβ. Κλαυδίου | Κέλσου Νικοπολίτου
καὶ Δελφοῦ ἐπιμε|λητοῦ ἡ πόλις ἡ Δελ-
φῶν ἀρετῆς ἕνεκα | Πυθίῳ Ἀπόλλωνι.

Celsus sicut Theocles Nicopolitanus erat. De patria tertii eorum quos modo dixi quattuor epimeletarum nil affirmare

1. *Quaest. conuiu.* VII, 5, 1, p. 704 D ; cf. *ibid.* IV, 4, 1, p. 667 D; atque etiam *de def. orac.* 2 p. 410 A : ὀλίγον πρὸ Πυθίων τῶν ἐπὶ Καλλιστράτου de archonte intellegi non potest, quod I. quoque Pomtow tandem uidisse *Philol.* LIV p. 597 adn. 16 magnopere gaudeo.
2. N. 2429. Exscripsit G. Colin.

uolo, cuius ne nomen quidem aetatem tulit ; sed fragmentum n. 3458 quo litterae ΟΡΙΝΘΙΩ perspicue leguntur eiusdem tituli fuisse ualde suspicor cuius sex frusta certissima sunt [1] :

Θεός .[Τύχα ἀγαθά.]
Δελφοὶ ἔδωκαν Μ. [— — — Κ] ορινθίῳ (?)
ἐπιμελητῇ [τῶν] Ἀμφικτ[ύονων αὐτῷ καὶ] γ[υναι]-
κὶ καὶ ἐκγόνο[ις π]ολε[ι]τε[ίαν, προμαντείαν, προδικί-]
αν, ἀτέλειαν, [γᾶς] κ[αὶ] οἰ[κίας ἔγκτησιν καὶ τἆλλα]
τείμια ὅσα [καὶ τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδο-]
ται ἐπ' εὐσε[βείᾳ πρὸς τὸν θεὸν καὶ ἐπ' εὐνοίᾳ]
[πρ]ὸς τὴν π[όλιν· Ἄρχοντος Τ. Φλ. Σωκλάρου, βου-]
λευόντω[ν Φιλ .... τοῦ .... καὶ Φιλλέου τοῦ]
Εὐβουλίδ[ου].

Postremo ipsius Plutarchi nomen reuocari uix mireris quippe qui sacerdos Delphis fuerit, h. e. ciuitatem acceperit priusquam etiam epimeletae munus indueret. Atque adeo illa uerba ἀπὸ Δελφῶν quae post ἐπιμελητεύοντος in titulo *CIG* 1713 incisa sunt nunc puto plane intellegentur. Nempe Plutarchus in concilium amphictyonicum non a Boeotis missus erat sed a Delphis ad quos maxime omnia pertinebant quae epimeleta efficienda curabat.

Inspicienti enim quaenam extiterint huius magistratus partes apparet statim quam necessario uinculo ille cum Delphis coniunctus fuerit. Nam praecipua et eximia laus quam semel epimeletae cuidam alterius saeculi datam uidemus [2] omnibus sine dubio tribui potuerat :

1. NN. 669, 842, 3218, 3220, 3450, 3460. Fragm. 3458 ad titulum restituendum dubitanter sane adieci. Archontis buleutarumque nomina ex decreto p. 29 descripto suppleta sunt.
2. N. 2490, in basi admodum rudi leucophaei lapidis. Alterius baseos eidem uiro dedicatae fragmentum 2867 seruatum est.

Οἱ Ἀμφικτύονες
τὸν ἐπιμελητὴν
Μ. Αὐρήλιον Νικιάδαν
Σατύρου Νικοπολίτην
παραριθμήσαντα τὰ ἱερὰ
χρήματα τῶι μετ' αὐτὸν
ἐπιμελητῆι.

« Iustam pecuniarum summam ei qui in ipsius locum succedebat tradidit », aut, quod idem est, aerarii curam habuit, et Dei rem nummariam reditusque bene gessit. Non enim opus est formulam quae aliquoties inscripta est ἐκ τῶν τοῦ θεοῦ χρημάτων uel προσόδων ubique legere. Etiam ubi non reperitur, ibi pro certo habemus sacram pecuniam sacro peribolo ornando et reparando adhibitam esse. Delphis igitur et substructi muri praesertim in uicinia altaris, et fons et alii muri prope Cassotidem, et bybliotheca et Pythiae domus, et « structorium » illud quod se in gymnasio repperisse haud sine causa T. Homolle arbitratus est, et Aesculapii aedes, et statuae plurimae imperatoribus dedicatae [1], omnia denique illa opera quae Amphictyones peragenda decreuerunt impensa Apollinis per epimeletam absoluta sunt. Atque ideo delphica ciuitas perfrequenter huic magistratui addita est quod pecunia ex Dei thesauris erogata sacram urbem simul et decorauit et ditauit.

Talibus autem rebus diutius immorari superuacaneum puto; nam epimeletae potestatem aerarii dispensatione non terminatam fuisse nobis indicio sunt inscriptiones quibus cum eius titulo speciosa aliqua dignitas haud raro conexa

1. Cf. tituli *BCH* XX, pp. 719-724 descripti, quibus adiciatur documentum *BCH* XXIII p. 574.

est. Augustorum sacerdotium in primis dico, quo functos esse Cleandrum [1], Cleomachum [2], Megalinum [3] certo scimus. Nullus autem iam post Domitiani tempora ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν uidetur nuncupari. Eubiotum [4] enim sacerdotem Augustorum fuisse constat sed apud Hypataeos, non Delphis. Praeterea Cassius Petraeus eodem nomine quo Eubiotus ἀρχιερεὺς ἐπὶ τοῖς δυσὶ στεφάνοις honoratus est [5] et, quamuis titulus Delphis exaratus sit, haud scio an dignitas quaedam apud Hypataeos insignis hic quoque designetur. Vtut est, non hoc conicere audeo Augustorum sacerdotium quasi necessario epimeletis Amphictyonum ita impertitum fuisse ut ne opus quidem esset illud memorare quotiescumque de his ageretur. Potius sane inferendum uidetur has duas dignitates non rite in omnibus, sed fortasse in nonnullis hominibus coniunctas extitisse. Plura uero hic quoque desunt quam ut quidquam temere adfirmetur.

Et primo adspectu habemus cur idem dicamus uel potius taceamus de illa ludorum celebrandorum cura quam ἀγωνοθεσίαν τῶν Πυθίων uocabant. Non enim omnes quos nouimus epimeletae simul ἀγωνοθέται appellantur [6]. Adde quod plurimi eorum qui origine Nicopolitani erant ludos Actiacos atque alii alios rexerunt, nil uero huc faciunt illa munera. Sed cum Pythia imperatoria aetate maximi et

1. *BCH* XX p. 710, n. 3455.
2. *Syll.* 372.
3. *BCH* XX p. 720, n. 3959.
4. *BCH* XXI p. 153. Cuius tituli u. 10 praenomen Δ[έκμ]ου manifesto supplendum est.
5. Pomtow, *Beitraege z. T. v. D.* p. 122.
6. Neque ex contrario adfirmare uelim omnes qui ἀγωνοθέται dicuntur, e. g. Αὐτάφιλον *CIG* 1717, reuera epimeletas fuisse.

paene unici momenti fuerint, propius inspicienda sunt documenta quo planius proprium nisi fallor epimeletae officium illustretur.

Nimirum hoc mihi perquam probabile etur in titulis certe delphicis epimeletam illo ipso nom epimeletae tamdiu dictum esse quamdiu munere fungebatur, non autem postea; inscriptionibus uero aliarum ciuitatium dignitatem illam honoris causa reuocari potuisse etiam cum iamdudum defunctus erat officio epimeleta.

Magistratum enim non perpetuum, non διὰ βίου habemus. Quod ne dicat quis minime inopinatum esse ac per se manifestum, quia Amphictyones in annum creari soliti sint. Nam ne opus quidem est usque ad quartum ante Chr. saeculum regredi, quo hieromnemones aliquot magistratum per septem uel octo annos continuantes uidimus. Immo exemplum illud reducamus : quomodo Petraeus bis magnis Pythiis praeesse [1] potuisset, si annuus fuisset?

Primum meminerimus oportet fere nullam rem praeter Pythia concilium amphictyonicum tunc opera et studio prosequi solitum esse. Quod testatur, ut Plutarchea opuscula et praesertim συμποσιακά praetermittam, magna illa Hadriani epistula cuius fragmenta mox perleges : de conuentu enim hieromnemonum et de ludis tam promiscue dixit imperator ut unam eandemque materiem tractauisse uideatur. Ergo iam per se uerisimile quidem erat epimeletas Amphictyonum ante omnia ludis celebrandis praepositos fuisse; sed praeterea nonnullos certe eorum reuera ἀγωνοθέτας fuisse comperimus : nominandi in primis Mega-

1. I. Pomtow, *l. l.*

linus cui imp. Domitianus iussa sua de Pythiis exsequenda commisit [1], et Eubiotus, et Petraeus.

Cuius exemplo consistamus. L. enim Cassius Petraeus epimeleta fuit in primo secundi saeculi decennio, aut, ut pressius loquar, inter annos 102 et 114, cum statua imp. Traiano ab Amphictyonibus dedicata est [2]. Paucos autem post annos alteram eidem imperatori statuam ipse consecrauit :

Αὐτοκράτορα Νέρ|βαν Τραιανὸν Καί-
σαρα Σεβαστὸν Γερ|μανικὸν Δακικὸν
Ἄριστον Λ. Κάσσιος | Δερκίου υἱὸς Πετραῖ-
ος ἐκ τῶν ἰδίων.

In hoc titulo sicuti plane in illo quem I. Pomtow inuenit, non epimeletae iam fert nomen ; nec ullam uidelicet habebat causam quin eo sese decoraret si tunc potuisset. Haec uero altera Traiani basis propter cognomen Optimum annis inter 114 et 116 certo tribuenda est, inde sumes Petraeum epimeletam antea fuisse, sed non illis iam annis.

Ex altera nunc parte Plutarchi uerba [3] trita quidem sed nondum me saltem iudice exhausta repetamus : καὶ μὴν οἶσθά με τῷ Πυθίῳ λειτουργοῦντα πολλὰς Πυθιάδας, ἀλλ᾽ οὐκ ἂν εἴποις · ἱκανά σοι, ὦ Πλούταρχε, τέθυται καὶ πεπόμπευται καὶ κεχόρευται, νῦν δ᾽ ὥρα πρεσβύτερον ὄντα τὸν στέφανον ἀποθέσθαι ... Quae, licet facundus ille scriptor non semper accurate loquatur, ad nostram rem uidentur quadrare. Τέθυται enim sacerdotis est, sed, ut praetermittam πεπόμπευται illud

1. Cf. cap. II pars ubi de Domitiano agitur.
2. Baseos inscriptio n. 3447 legitur *BCH* XX p. 724; cuius in u. 5 supplendum esse [Δερκίου υἱοῦ Πετρ]αίου ostendit titulus quem publici iuris facio.
3. *An seni resp. gerenda sit*, 17, p. 792 F.

quod tam bene et illud κεχόρευται quod melius sane de agonotheta quam de sacerdote dici poterat, quid de illa λητουργίᾳ censendum est nisi aliquid praeter sacerdotium designari ? Accedit ut diuturnum suum munus non uulgaribus uerbis πολὺν χρόνον aut πολλὰ ἔτη sed tanquam sollemni formula πολλὰς Πυθιάδας significet. Qua usus ludos quarto quoque anno recurrentes in memoriam statim reuocet necesse est.

Neminem iam fugerit me adductum esse ut credam epimeletam iusto munere per quattuor annos esse functum, quorum primo insuper eidem homini Pythiorum edendorum cura imposita erat, et praeterea nonnullos ut Petraeum Plutarchumque munus iterum atque iterum continuauisse. Sed ut haec uerisimilia mihi quidem uidentur esse, ita si quis ab assensu se sustineat coarguere nequeo. Ceterum satis certi superest ut nunc quid ualuerit Amphictyonum epimeleta melius discernamus.

En habes in breuissimum redacta omnia quae hactenus disputata sunt :

SACERDOTES

ca. 50	[Μελισσίων Λαιάδα?] —	Π. Μέμμιος Σώτηρος
85-120	Γ. Μέμμιος Εὐθύδαμος —	Εὐκλείδας Ἀστοξένου
	Γ. Μέμμιος Εὐθύδαμος —	Μέστριος Πλούταρχος
	Πλούταρχος	—
120-130	— —	Λ. Γέλλιος Ξεναγόρας I
	Λ. Γέλλιος Ξεναγόρας I —	—
130-145	— —	Φλ. Ἀριστότιμος
	Φλ. Ἀριστότιμος —	Λ. Γέλλ. Ξεναγόρας II
145-165	Λ. Γέλλ. Ξεναγόρας II	—
	—	—
	—	Λ. Γέλλ. Δημόστρατος
165 seqq.	Λ. Γέλλ. Δημόστρατος. Τιβ. Ἰούλιος Ἀρισταίνετος.	

ARCHONTES

	Pythodorus Xenagorae f.
	C. Memmius Euthydamus τὸ α'.
79-80	imp. Titus.
	T. Flauius Soclarus τὸ α'.
	Simus Epandri f.
	C. Memmius Euthydamus τὸ β'.
	Tib. Iulius Agathon.
	C. Memmius Euthydamus τὸ γ'.
	T. Flauius Pollianus.
ca. 100	T. Flauius Soclarus τὸ β'.
	Firmus.
	Babbius Magnus.
115	Lamprias.
119	P. Aelius Pythodorus.
120	imp. Hadrianus τὸ α'.
121	Babbius Maximus.
	M. Pacuuius Optatus.
125	imp. Hadrianus τὸ β'.
	Cteson Soteri f.
	Aphasius Callicrates.
	imp. Antoninus Pius.

	Tib. Iulius Assidus.
160	Eubulides.
163	Tib. Iulius Aristaenetus.
	M. Aurelius Antiphanes.
	[M.] Aurelius Cleopatros.
quorum locus in II° saeculo incertissimus	Pantaleon Pantaleontis f.
	Nicostratus.

EPIMELETAE AMPHICTYONVM

Impp.		
Tiberio	Theocles Eudami f.	Nicopolitanus.
Nerone	P. Memmius Cleander	—
—	Tib. Claudius Cleomachus	Nicopolitanus.
—	Tib. Claudius Celsus	Nicopolitanus.
Domitiano	Callistratus Leontis f.	Delphus.
Domitiano	T. Flauius Megalinus	—
Traiano	T. Flauius Soclarus	Tithoraeus.
Traiano	L. Cassius Petraeus	Hypataeus.
Traiano	T. Flauius Cyllus	Hypataeus.
Traiano et Hadriano	Mestrius Plutarchus	Chaeronensis.
Hadriano	T. Flauius Eubiotus	Hypataeus.
Hadriano	...sander Plistarchi f.	Hypataeus.
Commodo?	M. Aurelius Niciadas	Nicopolitanus.

CAPVT ALTERVM

DE IMPERATORVM ROMANORVM CVM CIVITATE DELPHICA EPISTVLARVM COMMERCIO

Materiam hic tentari [1] paene periculosam iam significaui, mox uero planius experieris. Epistularum enim potissimum ab imperatoribus ad Delphos missarum quae in parietibus aedis incisae erant ne una quidem asseruatur integra. Multa quidem fragmenta sensu cassa quae ita componere ut uersus aliquot restituti continuarentur solo ectyporum auxilio non potui nunc edere nequeo. Sed de eis etiam quae dabo ueniam petere necesse habeo. Nam mutila supplere quam saepe conatus sim non professus multa transcribam manca atque imperfecta. Oportebat tamen quam citissime possem longinqui assiduique illius epistularum commercii quasi conspectum praeberem. Nonnulla etiam uerba scitu haud indigna, ut quae a Traiano Hadrianoque dictata sint, nouum quiddam et peculiare redolent quo proprii utriusque mores penitius introspiciantur. Denique et uiri docti de fragmentis

1. Tempus laudandi libelli non praetermitto quo L. Lafoscade *de epistulis impp. magistratuumque rom.* Parisiis 1902 diligentissime disseruit : quanquam res admodum diuersa illic tractatur.

quae hic publici iuris fecero melius exitum institutae rei expedient quam ipse consecutus sum et per molem reliquorum frustulorum uia facilius propterea reperietur quod nonnulla iam aggregata et certo composita praesto erunt.

Vt res nunc se habet, tanquam per transennam tantum adspicere nobis contigit quam multa magnaque his epistulis tractata sint. Nam de uno aut altero homine, e. g. de Pythodoro quodam Delpho aut de quodam legato ad Hadrianum misso sane agitur; sed haec leuia sunt saepiusque maiorum rerum momenta ex imperatorum decreto pendent. Praemia enim et, ut unum memorem, αὐτονομίας priuilegia Delphis ab singulis imperatoribus confirmata, illam « reliquam umbram et residuum libertatis nomen » quod Plinius Maximo suo uenerandum commendabat; dein fines quibus praedia Apollinis a uicinarum ciuitatum agris distinguebantur haud semel constitutos; postremo amphictyonici concilii statum uicissim ab Augusto, Nerone fortasse, Hadriano immutatum atque, sicut dixi, in eodem genere noua de Pythiis praescripta nouaque certamina antiquioribus addita: utinam de omnibus illis rebus plura congerere liceat, postquam fragmenta plura in unum redacta erunt!

Nunc uero non rerum, sed temporum hic quoque ordinem sequi mutilis documentis cogimur. Quamobrem de singulis imperatoribus colligere titulos nondum notos conatus sum, primum scilicet statuarum inscriptiones eis eorumque propinquis dedicatarum, dein epistularum potiora fragmenta quae ab eis aut ad eos missae sunt.

Quod ad Avgvstvm ipsum attinet nil habemus: postea uero rem amphictyonicam a diuo Augusto denuo constitutam Hadrianus bis respexit, mutauit tamen sicuti mox uidebimus. Duos igitur tantum titulos hic adferre possum, licet uterque iam notissimus mihi uideatur.

Prior in fragmento lapidis calc. leucophaei incisus est (n. 904) cuius nulla margo nisi superna asseruata est. Ibi leguntur hae litterae:

ΝΤΩΝΑΜΦΙ	ΤΟΚΟΙΝΟ
ΝΛΕΥΚΙΟΝ	ΙΟΥΛΙΑ
ΛΙ̅ΛͰΛ	Σ

Quod iamdudum persuasum habui nihil aliud esse quam titulum qui a Cyriaco descriptus nunc *CIG* 1712 extat. A. enim Boeckh, miro quo uti solitus est acumine, ex indiscretis apographi uersibus duos titulos paene similes in eodem lapide insculptos fuisse peruiderat. Quod autem de C. Caesare cogitauit, non hic errauit, sed ille qui primus lapidem descripsit. Neque emendationem Muratorianam Σεβαστο[ῦ υἱὸν] nobis quidem probauit, sed quomodo corrigendum esset uerbum a Cyriaco lectum indicauit. Nam restituendum censeo:

[Τὸ κοινὸ]ν τῶν Ἀμφι-	Τὸ κοινὸ[ν τῶν Ἀμφικτυόνων]
[κτυόνω]ν Λεύκιον	Ἰουλία[ν Μ. Ἀγρίππα θυγατέρα]
[Ἰούλιον Κ]αίσαρα	Σ[εβαστοῦ υἱωνήν.]

Denique [Ἀπόλλωνι Πυθίῳ] quod sine dubio bis inscriptum erat, i. e. semel sub utroque nomine.

Duobus igitur M. Agrippae et Iuliae Aug. f. pueris statuas consecratas esse puto, quod altero titulo confirmatur. Spectat enim ad alteram M. Agrippae filiam inscriptio cuius sinistra pars *Athen. Mitteil.* V p. 197 edita est, nunc uero adiungendum est fragmentum n. 3809:

[Τὸ κ]οινὸν τῶ[ν Ἀ]μφικτυό[νων]
Ἀγριππ[ί]ναν
[Μά]ρκου Ἀγρίππα θυγ[ατέρα]
Ἀπόλλωνι Π[υθίῳ].

De qua conferatur *Prosopogr.* III p. 443.

Tribus illis et fortasse pluribus M. Agrippae pueris bases continuabantur ferme eodem modo quo Daocho eiusque propinquis aut Herodis Attici filiis filiabusque.

De Tiberio nihil noui praeter titulum qui supra p. 48 repetitus est.

Clavdio tres statuae dicatae sunt neque ea tantum cuius inscriptio *BCH* XX p. 708 legitur, sed duae insuper quarum utraque basis non ex antiquiore monumento ut illa subrepta est sed in Claudii ipsius honorem facta et satis accurate insculpta. Prioris earum titulus iam notus est, sed *BCH* XX p. 711 Neroni datus (n. 1889). At enim cum u. 4 litterae Δ initium certo agnoscatur, cumque ab eadem manu atque ille qui proxime insequetur incisus sit titulus, supplere non dubito :

[Τιβέριον Κλα]ύδιον Καίσ[αρα Σεβαστὸν]
[Γερμανικὸν] ἀρχιερῆ μέγ[ιστον, δημαρχι-
[κῆς ἐξουσίας τ]ὸ β′, αὐτοκ[ράτορα τὸ γ′,]
[ὕπατον τὸ β′, ὕπ]ατον ἀποδ[εδειγμένον τὸ γ′,]
[ἁ πόλ]ις τῶν Δ[ελφῶν.]

Anno 42 statua illa posita est ; haec uero quattuor post annos (n. 1384) :

Τιβέριον Κλαύδιον Καίσαρα Σεβαστὸ[ν]
Γερμανικόν, ἀρχιερῆ, δημαρχικῆς ἐξου-
σίας τὸ ἕκτον, ὕπατον ἀποδεδειγμένον

τὸ τέταρτον, αὐτοκράτορα τὸ ἑνδέκατον
πατέρα πατρίδος Ἀπόλλωνι Πυθίωι
ἁ πόλις τῶν Δελφῶν.

VIII. kal. febr. a. 46 fuit una dies qua imp. Claudius simul trib. potest. VI et imp. XI dici potuerit. Sed probabilius mihi uidetur quadratarium aut eum qui decretum litteris mandauit in salutationum numero errauisse qui tunc citius mutabatur. Vtique anno 46 tribuendus est titulus ille.

Ab eodem imperatore, sex annis post, missa est ad Delphos epistula cuius initium ex quattuor fragmentis restituere tentaui (nn. 3883, 59, 4001, 2178).

Τιβέ[ριος Κλαύδιος Κ]αῖσ[αρ Σεβαστ]ὸς [Γερμανικός, δημαρχικῆς ἐξου-]
σίας [τὸ ΙΒ, αὐτοκράτωρ τ]ὸ ΚΕ, π[ατὴρ πα]τρίδ[ος,..................
πάλ[ιν? τ[ῆι π[όλει τ]ῶν Δελφ[ῶν προθ]υμό[τατα χαίρειν.
χ.. ισα ἐ[πε]τήρη[σα τὴ]ν θρησκε[ίαν].. οιαπο.......
νῦν λέγεται καὶ .....ι τῶν ἔργ....... εἶναι ω.............. [Λ. Ἰού-]
νιος Γαλλίων ὁ [φίλος μ]ου κ[αὶ ἀνθύ]πατος [Ἀχαΐας
ἔτι ἕξειν τὸν πρ[
λων πόλεων κα....
αὐτοῖς ἐπιτρε[.... συμ-]
φώνως πολε
[τ]αί με τῷ κ....
α]ὐτου

Omnia supplere nequeo, sed duo dignissima sunt quae memoria teneantur, primum imp. Claudium rebus delphicis, etiam si supplementum u. 3 πάλ[ιν] non probetur, curiose studuisse nec religioni tantum (θρησκείαν u. 4), sed, nisi fallor, terminis quoque et finibus sacri agri (ἄλλων πόλεων,

fortasse u. 7 ἔτι ἕξειν τὸν πρ[ότερον..... ὁρισμόν]); deinde eo quod L. Iunii Gallionis, Senecae fratris, procos. Achaiae nomen adfertur [1] atque Claudius imp. XXVI appellatur, hanc fragmentorum compagem confirmari.

Quaenam Gai soror titulo quem infra transcribam honorata sit non facile diiudicaueris, nam nominis aut fortasse cognominis (caue ne suppleas Θεὰν) nihil extat nisi ultima littera quam duarum litterarum interpositum spatium a uestigiis cuiusdam rotundae separat : n. 1512 :

[Ἡ πόλις τῶν Δελφῶν.......]
......O. [α]ν Γαΐου Καίσαρος Αὐτο-
κράτορος Σεβαστοῦ ἀδελφὴν
Ἀπόλλωνι Πυθίωι.

Illius illustrissimae mulieris, quaecumque fuit, statua super gradum templi erecta est, unum scilicet ex tribus illis βαθμοῖς τοῦ κρηπιδώματος qui ad orientem spectabant. Delphi multo post ad duas Constantini effigies ponendas tanquam basi eadem crepidine usi sunt; antiquissimum quantum scio illius parsimoniae exemplum in sorore Gai honoranda dederunt.

Neronis nomen, ut uidetur, Hadrianus adfert in epistula quadam tam misere in priori parte deprauata ut uix affirmare liceat ab illo amphictyonica suffragia quae Augustus constituerat commutata esse (u. p. 79). In alia Hadriani epistula Vespasianvs quoque nominatur, quem pecuniam pro Dei agro integro tuendo ab Delphis traditam accepisse non miraberis (u. p. 75).

1. A. p. Chr. 52 : cf. *Prosopogr.* II p. 238.

Ad Domitianvm quoniam peruenimus, primum memorandus est titulus quem ex uiginti fragmentis a me collatum publici iuris fecit T. Homolle *BCH* XX p. 717 (inde *CIL* III, S. 14203, 24). Quo imperator magnifice profitetur se a. 84 « templum Apollinis sua impensa [1] refecisse ». Totam sane aedem tunc instauratam esse nemo est qui credat, sed mihi quidem unum uidetur Domitiano tribui posse, quod templi pars exterior paululum commutata sit.

Coronae enim, quam dicunt, marmoreae fragmenta nonnulla nouimus iam et plura mox numerabimus quae omnia circa 0 m. 28-29 alta sunt quorumque torus in eundem astragali modum incuruatur. In duobus autem incisum erat populi delphici decretum quo prouisum erat ut quaecumque epistulae de Pythiis missae essent inscriberentur [2]. Sed marmoreus murus Delphis nullus asseruatur : reuera epistularum illarum fragmenta permulta ex lapide calcario constant. Ergo probabilitate non destitutum opinor marmoreum hunc torum quasi θριγκόν fuisse super calcarium quemdam murum impositum. Quod confirmatum esset neque ullo modo refelli posset, si epistula cuiusdam ab Hadriano missae, cuius initium uno ex illis marmoreis fragmentis [3] nobis traditum est, finem in calcariis frustulis inuenissemus. Nondum sane certum est sic documentum continuari, sed lapides ipsos consulendi spem non abieci : quorum utique testimonio res confirmetur oportet.

Ex altera parte iamdudum notaui [4] in tabulis naopoeorum

1. Litterae M uestigia in incertum reuocari non possunt.
2. Haussoullier *BCH* VI p. 452, n. 83; Pomtow *Beitraege* p. 10 et tab. XIV 40.
3. Id., *ibid.*, pp. 452-3, n. 84.
4. Ex. g. *BCH* XXVI p. 39.

saepissime πούρου uel tofi mentionem fieri, nusquam autem calcarii. Inde dubitanter posui in longis cellae muris quos σκέλη Delphi uocabant inferiora tantum lapidum cubilia ex calcario, superiora uero ex tofo constitisse. Haec omnia quamuis in breuissimum hic sint redacta si contuleris, quo tendam facile intelleges. Nimirum puto Domitiani tempore marmoreum illum torum insertum esse in infimam partem tofini cubilis quod cubilibus calcariis proxime superimpositum erat. Neque altior quam tria metra aestimandus est totus calcarius murus, quandoquidem litterae sub toro insculptae ab hominibus in pauimento περιστάσεως ambulantibus legi poterant.

At dicet quispiam in illo Delphorum decreto quod nuperrime attuli uerba εἰς (uel ἐν) τὸν ἐπισημότατον [τόπον... ἐν...] στάλαν certissima esse; quorum ultimum, etiamsi supplementum λιθίναν abiciendum esse uideatur, nihilominus de muris templi uix intellegi posse. Verum hoc quidem argumento minus efficitur quam quis primo adspectu credat, nam eodem modo dicuntur [1] inscribenda ταμιᾶν nomina ἐν στήλῃ quam non solam, sed unum ex illius muri lapidibus fuisse accepimus quo tegebantur fundamenta templi. Adde quod Delphi dum decretum illud incidendum curant non praeuidere poterant quot epistulas Hadrianus et Antonini cum de aliis rebus tum maxime de Pythiis scripturi essent. Neque obici potest in uno fragmento n. 1285 quod eodem toro finitur litteras tantummodo 0 m. 006 altas fuisse. Nam ex eo quod lapidis quoque mensurae minores sunt,

1. In titulo quem descripsi *Administr. financ. du sanct. pyth.* append. col. I, u. 14.

probabile uidetur solum hoc extitisse uestigium alterius marmoreae coronae quae alio templi loco fortasse sed certo ita ut titulus propius legeretur inserta esset.

Itaque uerisimillimam coniecturam de illo aedis pariete qui ad meridiem spectabat proponere audeo, tenuemque marmoream tabulam in qua Domitianus maximum opus iactabat super torum marmoreum primo tofino cubili iniunctam esse censeo. Illa enim marmora eodem tempore ex reliquiis uetustioris cuiusdam monumenti (cuius thesauri nunc non diiudico) erepta sunt : quod testantur tituli multo antiquiores quorum uestigia in nonnullorum latere adhuc discernuntur. Neque in longos annos suas Domitianus laudes extollendas parauerat; nam post eius mortem tabula fracta fragmentaque alia alio disiecta et nomen imperatoris ex omnibus inscriptionibus quae per marmoream coronam continuabantur erasum est.

Ad has igitur inscriptiones iam transeamus : illi primum quam inuenit B. Haussoullier, *BCH* VI p. 451, n. 82, uno fragmento n. 3653 adiciuntur nonnulla uerba, sed uersus longiores etiam fuerunt quam editor arbitratus est, pluraque desunt quam ut supplemento confidam : praeter nouam partem nil nisi litteras aliquot transcribo :

u. 1 ....Γε]ρμανικός, ἀρχιερεὺς μέγιστος, δ[ημαρχικῆς ἐξου-
σίας τὸ., αὐτοκράτωρ]
u. 2 ...ἄρ[χου]σι καὶ τῇ πόλει χαίρειν. Φυσ[ικῶς?....
u. 3 ..φυλά[σσεσ]θαι μηδενὸς μέρους τ.....
u. 4 ....σαν ἐπινε[μ....
u. 5 Ἔ]ρρωσθε. Ἀ[πὸ.....

Ex priore illius epistulae parte imp. Domitianum ad procos. Achaiae de Pythiis scripsisse comperimus. Quod

nunc quattuor duarum epistularum fragmentis[1] confirmatur (nn. 1242, 646, 249, 1243) :

u. 1 [.....ἀνθύπατος Ἀχαιίας.., Δελφῶν ἄρ]χουσι χαίρειν. Τοῦ κυρίου ἡμ[ῶν καὶ ἐπιφανεστάτου Αὐ]τοκράτορο[ς] <Δομετια-νοῦ > Καίσαρο[ς Σεβασ]τοῦ Γερμανικοῦ προνοοῦντος τοῦ κατὰ τὴν ἀρ-

u. 2 [χαίαν τάξιν ἀγομένου Πυθικοῦ ἀγῶνος... καὶ πέμψαντος τὴν] ἱερωτάτην αὐτοῦ ἐπιταγήν, ἔγραψα τῷ τῶ[ν Ἀμφικτυό]νων σ[υ]νε[δρί]ῳ ἐπιστ[ολὴν καὶ ἄλλη]ν διεπεμψάμην τ[ῷ ἐπιμ]ελητῇ αὐτῶν Μεγαλείνῳ· ἵνα μέντοι εἰδῆτε ὅτι ὅ τε κύριος

u. 3 [.... καὶ?......... , ... τὸ ἀντίγραφ]ον ὑμεῖν τῆς τε τοῖς Ἀμφικ-τύοσιν ἐπισ[ταλείσης] ἐπιστολῆ[ς καὶ τῆς ὑπὸ τοῦ] πιστοῦ Μεγαλείνο[υ ληφθείσης.] Ἔρρωσσθε.

u. 4 [..ἀνθύπατος... τῷ συνεδρίῳ τῶν] Ἀμφικτυόνων χαίρειν. Γράψαν-[τος τοῦ κ]υρίου ἡμῶν κ[αὶ ἐπι]φανεστάτου [Αὐτοκρ]άτορος < Δομετιανοῦ > Καίσαρος Σεβαστοῦ Γερμανικοῦ, ἵνα

u. 5 [............ τοὺς ἀπὸ παντὸς αἰῶνος μέχρι] τοῦ δεῦρο γεγενημένους Ἀμφικτυονικο[ὺς νόμους, ἔστιν] ἀναγκαῖον [γράψ]αι ὑμεῖν ἵνα κατὰ το[ύτους το]ὺς νόμους καθὼς ὁ Αὐτοκράτωρ διατέτακται ὁ ἀγὼν ἄγηται· Ὑπέταξα δὲ

u. 6 [...πέμψαι ὑμεῖν τὸ ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς ἣν] ὁ κύριός μοι ἔπεμψεν ἵνα εἰδῆτε καὶ ἐξ αὐτοῦ[τί χρὴ ποιεῖν· Ὁ ἀγὼν ἄγηται] κατὰ τοὺς ἀπὸ [παν]τὸς αἰῶνος μέχρι τοῦ δεῦρο καὶ τετηρη-μένους καὶ ὑπό σου κεκυρωμέ-

u. 7 [νους νόμους ....] φυλασσομένου τοῦ διωρισμένου ἐ....... [Ἔρρωσθε].

1. Haec sunt fragmenta illius marmoreae coronae (gallice *corniche*) de qua dixi p. 65. Quorum unum iam *BCH* XX p. 715 datum est.

Hic quoque desiderantur multa neque in quantum patuerit sinistra tituli pars facile dicas. Probabile saltem faciunt uerba u. 6 ὑπό σου iussum quod imperator procos. mandauerat in fine transcriptum fuisse ; sed hoc Megalino quoque dici potuit, quod si acceperis u. 7 Ἀμφικτυονικοὺς νόμους legere necesse erit. Nec plura supplere nunc tentabo ; animaduertas autem quaeso quae partes fuerint epimeletae in Pythiis celebrandis.

De statuis quae imp. TRAIANO dicatae sunt, cf. quae p. 61 dixi.

Inter omnes epistulas quae de controuersiis finium missae sunt, plurimae Traiani principatui tribuendae sunt. Nunc uero, cum paucissima habeam quae tabulis a G. Colin delineatis [1] adiciam, nihil quam parum dicere satius est : documenta igitur maxime digna quae seorsim, nouis fragmentis adhibitis, tractentur ad tempus magis aptum differo. Hoc tantum conicere liceat statuas quae nonnullis alterius saeculi imperatoribus et imprimis Traiano Ambryssi positae sunt [2] non sine causa ad agrorum determinationem referri posse.

Ecce autem habes duas epistulas quas ab ipso imperatore datas esse uix dubitabis [3].

1. *BCH* XXVII tab. I-III.
2. *IG* IX 17.
3. NN. 443 (iampridem editum *Hermae* VIII p. 416), 1567, 3954, 3800. Quattuor haec sunt fragm. lapidis calcarii qui ex templi muro meridiem uersus cecidit.

[Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, θεοῦ Νέρβα υἱ]ός, Νέρβας Τραιανὸς Σεβα[σ]τός, Γερμανικό[ς, ἀρχιε-]
[ρεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξου]σίας τὸ β', ὕπατος τὸ β', Δελφῶν τῇ [πόλει χαίρειν.]
[Τάς τε δωρεὰς καὶ τὴν ἐλευθερία]ν καὶ αὐτονομίαν καὶ τῶν π[ρὸ] ἐμοῦ αὐτοκρατόρω[ν........
[ὑμῖν εὐνοϊκῶς συγκεχωρη]κότων καὶ αὐτὸς βεβαιῶ, κατὰ [μη]δεμίαν ἀφορμὴν βου[λόμενος]
[ὑμᾶς ἐλλείπειν τι ἧς πρὸς ἡμᾶ]ς ἐσχήκατε χάριτος· περὶ δὲ ὧν ἔστησε κατὰ Πυθοδώ[ρου......
[............ ἐνετειλάμην τῷ ἀ]νθυπάτῳ καὶ φίλῳ μου Ἐρενν[ί]ῳ Σατορνείνῳ καὶ τῷ ἐπι[τρό]-
[πῳ........ Ῥούφῳ πάντα πέμψαι] μοι ἵνα, ἐὰν οὕτως ἔχῃ ὡς ἐγράψατε, τύχῃ τοῦ δικαίου. Ὁ πρε[σ]-
[βευτής................ καὶ αὐ]τ[ῷ] τῆς πρεσβείας εὔ[λ]ογον τὸ ἐφόδιον δοθήτω, εἰ μ[ὴ προῖ]-
[κα ὑπέσχηται πρεσβεύσειν.] Ἔρρωσθ[ε].
[Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, θεοῦ Νέρβα υἱός, Νέρβας Τραιανὸ]ς Σεβαστός, Γερμανικός, ἀρ[χιε]-
[ρεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ γ', ὕπατ]ος τὸ β', πατὴρ πατρίδος, [Δελφῶν]
[τῇ πόλει χαίρειν.]
....................................τὴν] αὐτονομία[ν
...............ὑπ]ὸ τῶν [πρεσ-
[βευτῶν.. τ]ῆς ζημία[ς... ...ἀκολού]θως καὶ τοῖς
[κηρύγμασιν... Ἐρεννί]ου Σατορνείνου [τοῦ κρατίστου] ἀνθυπάτου τῆς
[Ἀχαΐας καὶ... Ῥ]ούφου τοῦ ἐπιτρόπου· ὁ πρε[σβευτὴς Ἰο]ύλιος Ἀντιγένης
[ᾧ δοθήτω ὅτι τῆς] πρεσβείας ἄξιον κρείνω ἐφόδιο[ν, εἰ μὴ προῖκ]α ἐπηγγείλατο
[πρεσβεύσειν. Πρ.. ε]ἰδῶν Νοεμβρίων, ἀπὸ Ἀντίου. Ἐ[ρρῶσθαι] ὑμᾶς βούλομαι.

In inferiore parte fragmentorum 3954 et 3800 nihil superest praeter aliquot mutila imperatorum nomina atque cognomina ex quibus colligi potest epistulam a Commodo missam multos post annos subter Traiani epistulas incisam esse.

De his uero epistulis satis ad nos peruenit ut luculentissime appareat quam imperatoria breuitate Traianus quaestiones profligauerit. Nihil enim tumidi in illo animo, nihil superuacanei, omnia pressa et rei aptata; nec de uerbis omnibus asseuerare possim, sed sententiam eo probabilius agnosces quod utroque documento de iisdem rebus agitur. In priore enim quod m. oct. aut nou. a. 98 collocandum est et praemi a Delphis a superioribus imperatoribus concessa Traianus prorogat et de quodam Pythodoro, Delpho scilicet, aduersus quem statuisse procos. ipse Saturninus uidetur rei iudicium suscipit. Dein alterius initio, quanquam lapis illo loco misere deprauatus est, uerbum αὐτονομία sine dubio indicat priuilegia post annum — nam litterae datae sunt ante id. nou. a. 99 — denuo renouari et in altera parte iterum de multa Pythodoro indicta imperatorem scribere liquet.

Herennius Saturninus idem esse potest, quod iamdudum conieci [1], ad quem Plutarchus libellum misit qui *aduersus Coloten* inscribitur. De Pythodoro autem nil scio, nam diuersus uidetur esse et ab illo Xenagorae filio quem archontem primo saeculo fuisse nouimus et a P. Aelio Pythodoro qui eodem munere Hadriano imperante functus est. Eum equidem erga Deum uel potius erga Dei pecuniam

1. Cf. *Comptes rendus Acad. Inscr. B. L.* 1896, p. 88.

suspicor quidpiam deliquisse, sed si quis mihi assensus erit, adducetur ut suppleat u. 5-6 : ἔστησε (statuit) [τὸ κοινὸν | τῶν Ἀμφικτυόνων], atque u. 16 pro κηρύγμασιν uel προστάγμασιν simplicius γράμμασιν.

Hadrianvm apparet cum plurimas ad Delphos epistulas miserit nonnullasque ab eis acceperit cumque statuis aliquot in peribolo Pythii honoratus sit sacram Apollinis sedem et amphictyonicum concilium Pythiaque maxima cura fouisse. Adde quod ex iis quae nouimus rebus delphicis non summatim studuisse sed in singulis atque etiam tenuissimis uidetur constitisse. Eo magis doleamus tam multa de multis eius epistulis nunc deesse.

Titulo qui infra descriptus est [1] annus 118 siue dubio uindicandus est, nam Hadrianus non solum Delphis ideo gratias agit quod sibi imperium ineunti gratulati sint, uerum etiam praemia donaque ab antecessoribus et praesertim, ut uidetur, a Traiano concessa confirmat.

[Α]ὐτοκράτ[ωρ Καῖσαρ], θεοῦ Τραιανοῦ Παρθικοῦ [υἱός, θεοῦ Νερούα υἱωνός, Τρα-]
[ια]νὸς Ἁδ[ριανὸς Σε]βαστός, ἀρχιερεὺς μέγισ[τος, δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ β',]
[ὕπα]τος τὸ [β', Δελφῶν] τῇ πόλει χαίρειν.
... εως ... [ὅτι μὲν τοῖ]ς παρ' ὑμῶν ἐπεσταλμέν[οις γράμμασι....]
.... ὅτι] δὲ ἡ ἀρχαιότης καὶ ἡ εὐγέν[εια τῆς πόλεως...]
........, οὐχ ἥ[κιστα] δὲ ὅτι φανερὰν [ἀπεδείξασθε τὴν προθυ-]
[μίαν ὑμῶν συνηδόμε]νοι μὲν ἐπὶ τῷ διαδέξ[ασθαί με τὴν ἀρχήν, περὶ]
δὲ θεὸν Ἀ[πόλλωνα Πύθιον] ἀγαθὰ παρακαλοῦντ[ες ...... τήν]
τε ἐλευθ[ερίαν καὶ τὴν αὐ]τονομίαν καὶ τ[ὰς ὑμῖν ἀεὶ συγχωρουμένας]

1. NN, 1565, 2265 quibus adicitur fragm. *Herm.* VIII p. 415 editum.

δωρεὰς [βεβαιῶ καὶ ἅπαν]τα καὶ ὑπὸ το[ῦ θεοῦ Τραιανοῦ δοθέντα.]
Πρεσβευ[τής............] νης. Εὐτ[υχεῖτε. Tempus et locus indicantur.]

Nescio an u. 4 [τῆς πόλ]εως supplere liceat. Postea tribus nisi fallor argumentis adducitur Hadrianus ad praestandam beneuolentiam : primum quod epistula ad eum missa est [1], dein quod antiqua urbis nobilitas uidetur esse respicienda, denique quod Delphi nouo imperatori gratulati sunt simul atqua pro Deo Pythio (u. 8 litterae A uestigia perspicua sunt) aequa bonaque poposcerunt. In ultimo uersu [Ἰούλιος Ἀντιγέ]νης supplere dubitaui quamuis nomen eius lacunae bene conueniat ; nempe legatus ille prioribus Traiani annis, i. e. uiginti annis ante, occurrit.

Quem epistulae conspectum si probaueris — nam ipsa uerba non praesto —, imperatorem Graecis eximie dilectum et Graeciae amantissimum in unam sententiam satis exquisita arte compositam omnia redegisse non miraberis. Probabile enim et mihi uidetur Hadrianum ipsum graece dictauisse nec sine quadam uoluptate ostentasse quam eleganter μέν et δέ opponere sciret. Sed magis etiam digna est quae laudetur illa reuerentia qua illustrissimum ipsaque uetustate sacerrimum templum prosecutus est.

Priusquam ad documenta ueniam quae circa a. 125 ponenda sunt, necesse est moneam de hoc praecipue temporis interuallo multa desiderari. Tunc certo exsequi coepit Hadrianus quod iam Traiano imperante suscipiendum fortasse cogitauerant Delphi, sed ea monumentorum magnifi-

1. Quid ualuerit ἐπιστέλλειν demonstrauit R. Laqueur, *Quaest. epigr. et papyrol sel.* p. 17.

centia quam sperare non potuerant et quam omnes prouinciae eadem aetate summo gaudio admirabantur : sacram urbem restitutam, ornatam, auctam dico. Illa enim ἔργα quibus Pudens frumentarius praefectus erat, ὑπὸ Ἀδριανοῦ κατασκευαζόμενα, nihil aliud sunt quam porticus et fontes et aedificia quibus Pylaea tunc effloruit : haec omnia uidit Plutarchus quippe qui principem laudibus extulerit cuius beneficio quasi nouus populus Delphis adiectus esset [1] : φιλῶ τὸν καθηγεμόνα ταύτης τῆς πολιτείας γενόμενον ἡμῖν καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐκφροντίζοντα καὶ παρασκευάζοντα. Quamobrem in his potissimum annis et, ut pressius loquar, a. 119 aut 120 collocauerit quis priorem epistulam ab Delphis ad Hadrianum missam : sed hanc coniecturam minime probabilem esse infra demonstrabo. Praestat igitur nonnulla documenta quae Hadrianus misit colligere breuissimoque commentario enucleare.

Primum hic locum obtinere mihi uidetur epistula quaedam cuius altera pars sex fragments [2] seruata est.

. . . ς [τὰ σ]υνβόλαια . . .
τὸ]ν Ἀπόλλωνα τὸν Πύθιον
. . . . εῖον τοῖς Ἀμφικτύ-
[οσι τ]ὰ τῷ κεφαλαίῳ προστε-
[θέντα π]ερὶ τῶν ξενίων πόθεν δεῖ
π]ότερον ἐκ τῶν τοῦ θεοῦ χρη-
[μάτων αὐτοῦ πατρίδος, περὶ πάντων
διαγ]ν[ώσ]ομαι. Ἠκέτωσαν δὲ καὶ Θεσ-
[σαλοὶ ιοι διανείμαντες τὰ χρήματα αὐτοὶ

1. *De Pyth. orac.* 29, p. 407 c.
2. NN. 575, 1363, 1854, 401, 811, 1096.

ἐξετάσω τοὺς] λογισμοὺς ἐκε[ῖ]· δοθῆναί μοι βούλομαι τῶν
ὑπαρχ]όντων τῷ θεῷ χρημάτων καὶ τῶν ἀναλισκομέ-
[νων τὰ κεφάλαια ἵνα ἐν Δ]ελφοῖς κρίνω. Κ[α]ὶ περὶ ὧν Θεσσαλοὶ ὑμᾶς αἰτι-
[ῶνται ἱεροσ]ύλους ἐπὶ τοὺς Ἀμφικτύονας
ν κα[τ]έχονται περὶ τοῦ ἱεροῦ τῆς Δή-
[μητρος α]ι λέγουσιν. Τοῦ λιμένος
Αἰτω]λοὶ μὲν μὴ προσῆκον ἐπερ-
[γάζεσθαι δοκοῦσιν . . . . . .] ον καὶ διὰ τοῦτο ἀνελεῖν τοὺς
[κριθέντας ὁρισμοὺς ὑπὸ τῶν Ἀμφκτυόν]ων, ὑμεῖς δὲ ἀπεδείξατε τριάκον-
[τα τάλαντα? τῷ θεῷ Οὐ]εσπασιανῷ δόντες ὑπὲρ τῆς χώ-
[ρας ος καὶ τῶν νόμων ὑμᾶς εἶναι
[κυρίους τῇ ἡμέρᾳ τ]ῇδε ἐνε[τειλ]άμην Κλαυδίῳ Τειμο-
[κρ]άτει σ[υναγα]γόντι τῶν Ἀμφικ[τυονικ]ῶν δογμάτων
ὅσα ἢ ἐνά[ντι]α ἀλλήλοις ἐστὶν [ἢ τοῖς νόμοις τοῖς κοινο[ῖς]
πέμψαι μο[ι] ἵνα καὶ τούτων τις ἐ[ξέτασι]ς γένηται. Εἰ δ'
Αἰτωλοὶ ψήφους ἔσχον καὶ τα[ύτας ἀφελὼν ὁ]θεὸς Σεβαστὸς
Νικοπολε[ίτα]ις προσέθηκ[εν, δικαίως καὶ π]ερὶ τούτου διαγνώ-
σομαι. Εὐ[τυ]χεῖτε.

Quae iam nobis documento sunt quam attente imperator omnibus rebus delphicis studuerit. Etsi uerba eius ubique supplere non audeo, perspicuum tamen uidetur ex u. 1-12 sacram pecuniam ei maximae curae fuisse. De ξενίοις haud scio an minime huc faciant documenta quae L. Couve *BCH* XVIII p. 79 attulit; ne de eo quidem quod Thessali tunc cum Delphis et de illa pecunia, et de furtis aliquot quibus Apollinis fanum expilatum est, et de Cereris amphictyonico templo dissenserunt, quicquam amplius dicere possum. Nisi forte suspiceris illo tempore idem fere Delphis accidisse quod ducentis annis ante factum esse luculentissimo testimonio cognouimus [1]. Quae omnia non solum comperta habet

1. Cf. G. Colin, *BCH* XXVII p. 166-167.

Hadrianus, sed etiam promittit se diiudicaturum esse cum Delphos uenerit. Alia quoque est quaedam difficultas de Cirrha portu nata : quare nomen Aetolorum u. 16 redintegrare non dubitaui, qui Naupacto profecti litus usque ad Cirrham legere agrosque Deo dicatos colere potuerunt. Hic laudatur diuus Vespasianus cui Delphi pecuniam ut praedia Dei intacta seruarent dederant [1]. Eorum iura tam multis impensis parata tueri uult Hadrianus, dummodo de omnibus illis rebus leges ab Amphictyonibus latas recensere potuerit. Itaque — si reuera inter se contingebant inferiora tituli fragmenta quemadmodum ea collegi — a Claudio quodam Timocrate qui συναγωγήν illorum decretorum non sine acumine ut uidetur composuerat, uetera documenta ad se mitti iubet. Et, quod magni momenti nobis est, ultimis uerbis statum amphictyonici concilii ab diuo Augusto commutatum respicit denuoque a se examinandum declarat. His primum confirmantur quae Pausanias de suffragiis Aetolorum genti detractis Nicopolitanisque concessis dicit [2]. Apparetque hanc ipsam epistulam necessario ante alteram scriptam esse qua a. 125 suam de Amphictyonia sententiam cum Delphis communicare Hadriano placuit.

Priusquam uero quae de illa aetatem tulerint transcribam, oportet per frustulorum multitudinem quaeram num initium huius quam modo exscripsi habeamus. En traduntur tituli cuiusdam pauci uersus [3] qui forsitan sex fragmentis supra dictis continuatus fuerit.

1. V. 20 fortasse [ὥστε τοῦ λιμέν]ος καὶ τῶν νομῶν...
2. X, 8.
3. NN. 1271, 3609.

[Α]ὐτοκράτωρ Καῖσαρ, θεοῦ Τ[ραι]ανοῦ Παρθι[κοῦ υἱός,]
θεοῦ Νερούα υἱωνός, Τραι[α]νὸς Ἁδριανὸς [Σεβαστός,]
ἀρχιερεὺς μέγιστος, δη[μαρ]χικῆς ἐξουσία[ς τὸ . ,]
[ὕ]πατος τὸ γ', Δελφῶν τ[ῇ πόλει] χαίρειν.
[Περ]ὶ μὲν ὧν πρὸς τοὺς Ἀ[μφικτύον]ας δι' ὑ[μᾶς ἔγραψα]
[καὶ ὑ]μεῖν δι' ἄλλων γ[ραμμάτων.......
[.. πρὸς ὑ]μᾶς γράφε[ιν......

Litterarum quidem altitudine et forma non aliena uidentur esse haec fragmenta a ceteris. Sed, ut omittam permulta quoque alia ab eodem quadratario eodem ferme tempore exarata esse, dudum persuasum habui duobus illis fragmentis initium alterius documenti asseruari cuius uersus paullo minus longi erant quam uersus epistulae supra transcriptae. Adde quod certum tempus definire non possumus quia quotiens tribunicia potestate Hadrianus donatus sit imperator nescimus. Liquet autem ex u. 5, nam illic restitutio Ἀμφικτύονας in dubium non reuocabitur, Hadrianum iam ad concilium litteras misisse. Quas mea quidem sententia agnoscere licet in titulo quem inuenit ediditque B. Haussoullier *BCH* VI p. 452-3, n. 84.

Sed hic ipse titulus in fragmento marmoreae coronae inscriptus est. Ergo si quis coniecturam quam modo proposui acceperit, statim ex ea effici cogitabit ut sex illis calcarii lapidis fragmentis (575-1096) contineatur epistulae finis cuius in marmoreo toro initium scriptum erat. Neque habemus cur miremur Hadrianum de Amphictyonibus locutum esse et de Delphis (τοὺς Ἀμφικτύονας, ἐν Δελφοῖς) cum potius eos adloqui debuisse uideatur (ὑμᾶς). Nam epistula ad concilium simul atque ad ciuitatem scripta est. Contra uerbo ὑμᾶς u. 12 Delphi quidem sine dubio designantur

sed hoc certe non significatur, Amphictyonas in initio nominari non potuisse.

Vtut est, coniectura enim, ut dixi, lapidum testimonio confirmetur oportet, in illo epistulae initio quaedam sic supplenda esse uerisimillimum mihi uidetur [1].

καὶ εἰς τὴν ἀρ[χαιό]-
[τητα τῆ]ς πόλεως καὶ εἰς τὴν τοῦ κατέχοντος α[ὐτὴν θε]-
[οῦ θρησ]κείαν ἀφορῶν . . . .

Quod promiserat Hadrianus se res amphictyonicas diiudicaturum esse effecit hoce documento [2] cuius superiorem tantum partem usque adhuc repperi.

Columna prior.

Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, θεοῦ Τραιανοῦ Παρθ[ικοῦ υἱός, θεοῦ]
Νερούα υἱωνός, Τραιανὸς Ἀδριανὸς [Σεβασ]τός, ἀρχι-
ερεὺς μέγιστος, δημαρχικῆς [ἐξουσία]ς τὸ θ′,
ὕπατος τὸ γ′, Δελφῶν τῇ πό[λει] χαίρειν.
Κατὰ τάδε ἔδοξέ μοι κ[ο]ινωνεῖν ὑ[πὲρ τῆ]ς Ἀμφικτυ-
ονείας καὶ τὸν ἀγῶν[α] τίθεσ[θαι τ]ῶν Πυθί-
ων. Ἐπαγγέλλετέ μ[οι ὅτι . . . . κατὰ] τὰς πα-
τρίους αὐτοῖς πρ[ονομίας? οἱ μέχρι τοῦ]δε ἀγω-
νισταὶ μόνοι οἱ ἐ[ν. . . .
προστεθέντες. . . . . [ἄκυ-]
ροι δὲ ἔστωσαν [οἱ ἀγῶνες . . . . . ἡμε-]

1. Postquam haec scripta sunt, uidi Adolphum Wilhelm iam abhinc quinque annis fere eadem restituisse *Jahreshefte des oesterr. archaeol. Institutes*, III 1900 p. 44 : nisi quod ἀρ[χαίαν δόξαν] et [ἀτρέ]κειαν proposuit; malo equidem ἀρχαιότητα (cf. p. 72) et θρησκείαν. Notanda est uere Plutarchea constructio ἀφορᾶν εἰς.
2. NN. 639, 1386, 1708, 420, 487.

ρῶν καὶ προῖκα λ[υέσθω. . . .
μὲν ἔχουσιν ἐν [Ἀμφικτυονείᾳ, Ἀθηναίοις μὲν]
δύο ψῆφοί εἰσιν, [Θεσσαλοῖς δὲ καὶ Νικοπολείταις]
δώδεκα. Ἐπεὶ δέ. . . . .
τῶν τῇ Θεσσ[αλίᾳ. . .
ἔδωκεν ὁ Νέρ[ων. . . .
. . . . .τοὺς. . . . .

Columna altera.

. . . ἃ μέντοι χρὴ ποιεῖν κατὰ τοὺς νόμους [εἰ]σ[ήνεγκα]
γ[ν]ώμην εἰς τὴν λαμπροτάτην [σύγ]κλητον εἰσηγη[σάμε]-
ν[ος] τὰς ψήφους ἃς πλέονας τῶ[ν] ἄλλων ἔχουσιν Θεσ[σα]-
λ[οὶ Ἀ]θηναίοις καὶ Λακεδαιμονί[οι]ς διανεμηθῆναι καὶ ταῖ[ς]
ἄλ[λαι]ς πόλεσιν ἵνα ᾖ κοινὸν πάντ[ω]ν τῶν Ἑλλήνων τὸ συνέ-
δρ[ι]ον. Εἴ τις ἢ ἐκκλήτου γενομ[έν]ης ἢ ἄλλως ἐν πυλαίᾳ ἐσ-
τ[εφ]άνωται, ἄκυρος ὁ ἀγὼν ἔστω κα[ὶ] τῷ νεικήσαντι λελύσθω
ἡ[ν]είκη. Εἰ δ᾽ἀντιποιοῖτο τοῦ στ[ε]φάνου εἰς Δελφοὺς ἐλθὼν
π[ρ]ότερον καὶ ἀγωνισάμενος παρ᾽ αὐτῷ τῷ θεῷ, στεφάνους
[τε κ]ελεύω καὶ τὸ ἐπιδέκατο[ν] τῶν τειμημάτων ὃ οἱ δικαζό-
[μενοι κατέχον]ται Θεσσαλο[ὶ] ἀποδοῦναι τῷ Θεῷ. Τὰ τῶν
. . .δ[ι᾽ὑ]μᾶς γενέσθαι πυνθανό-
[μενος] . . . ποτε ἔφθη διοική-
[σας] . . . λη διένειμάν τι
[τὰ τῶν διανειμ]άντων ὀνόματα
. . . νῦν χρησο-

Vtramque columnam quasi ad eundem titulum referendam transcripsi, nam duplex argumentum quod incomposite altera tractatur non solum primis epistulae uerbis praedicatum est (Ἀμφικτυονείας, Πυθίων), uerum etiam in priore columna iam promiscue attingi uidetur.

Postquam enim de illis qui certa quadam lege Pythiorum certaminibus aderant pauca edixit Hadrianus (u. 7-12), ad suffragia pergit quae gentes Amphictyoniae participes inde ab Augusto habebant. Cum u. 3-5 alterius columnae si contuleris ea quae Pausaniae de re amphictyonica debemus, probabis in u. 13-14 prioris columnae illarum gentium nomina restituta esse. Nam Thessalis sex totidemque Nicopolitanis suffragia impertita erant et illis praesertim quod ueteres populos Aenianes Dolopes alios in unum cum Thessalis redegerat Augustus. Itaque u. 15-16 [τῶν ἐθνῶν] | τῶν τῇ Θεσσ[αλίᾳ ἀνηκόντων legi res ipsa postulat. Sed u. 17 aliquid plane noui apparet si quidem recte, ut opinor, Νέρ[ων] hic laudatur. De Nerua enim si ageretur, Diuus praenomen non omissum esset. Neronem uero rebus amphictyonicis operam nauauisse inauditum est, atque illo quoque epistulae loco Hadrianum de concilio amphictyonico reuera locutum esse puto, quanquam diuersa miscere ut iam dictum est et in aliam rem transcurrere amauit.

Quod planius etiam intellegitur ex altera eiusdem epistulae columna cuius decem uersus integri feliciter seruati sunt. Hic enim quo dicendi genere subtilissimus ille imperator usus sit pernouimus. Postquam de Amphictyonia iterum tractauit, et de sententia a se ipso in senatu lata, atque pronuntiauit Atheniensibus Lacedaemoniisque — propter ueterem patriae laudem — distribuenda esse illa suffragia quae Thessalis supererant, iterum ad Pythia sine transitu currit poenasque indicit contra eos qui legem de certaminibus positam non obseruauerint. Qua de re non omnia mihi quidem plane perspicua esse fateor, nam πυλαία u. 6 nisi de conuentu hieromnemonum intellegi non potest :

difficultates enim tam cito extitisse inter sacram urbem eiusque suburbium Pylaeam non probabile uidetur, nec de Thermopylis cogitare licet quae illa aetate non iam ita nominabantur.

Maioris profecto momenti nobis esset scire quid Hadrianus de Thessalis dixerit, sed lapis fractus est. Collato autem titulo qui supra exscriptus est, conicere licet Thessalos qui antiquissimo priuilegio usi celebrandis Pythiis praeerant et ἀγωνοθεσίας praemia solebant exercere in re pecuniaria tunc quoque Delphis primas obtinere uoluisse : e. g. pecuniae depositae decimam partem in manibus habebant. Quam ambitionem refregit imperator.

Vltimis uerbis quae his fragmentis asseruantur διοικήσας, διένειμαν, administrandum Dei aerarium significari suspicor et de eadem re quaestionem institui qua in praecedente epistula : cf. p. 74 u. 8-9 : ἠκέτωσαν δὲ καὶ Θεσσαλοὶ... διανείμαντες τὰ χρήματα αὐτοί.

Haud scio an alteri eiusdem epistulae columnae tribuendum sit fragmentum quod nunc, quamuis nihil inuenerim quod cum eo coniungeretur, transcribam : n. 1387.

...ἐκεῖνο δὲ οὐ δίκαιο[ν...
...οι πολείτας τούτους...
..τα αὖθις ἐπὶ τὴν πολειτεί[αν...
..το ἐπ' ἐμοῦ τινες τοῦτο α...
..γειν ὑμᾶς τὸ ἕτερον ἅμα...
πολε]ίτας παραιτουμένους...
Vac. Ἐπρέσβευον Φ[λ.....
...ο]ς Ἀρισταίνετος, Φιλλέ[ας....
..σου, Φιλάμμων Ὑβρ[ία....

Aristaenetus hic diuersus fortasse ab illo est qui a. 163 Delphis archon fuit. Nam epistula utique ab Hadriano et circa a. 125 nisi forte iam antea missa est.

Quae testatur imperatorem pertinaciter consilium suum de ciuitate Delphorum augenda exsecutum esse. Voces enim πολείτας et πολειτείαν ad nouos ciues pertinere censeo qui, suburbio addito, in Delphorum numerum adscripti sunt : conferantur denuo Plutarchi uerba καθηγεμόνα ταύτης τῆς πολιτείας iam supra adlata.

Eiusdem anni 125 mense septembri, nam diem determinare nequeo, scripta est ab Hadriano ad Delphos epistula cuius argumentum perobscurum est. Tituli enim lectu difficillimi initium tantum et finem nunc exscribere liceat, quippe cuius u. 12-24 nihil supersit nisi litterae aliquot maxime incertae et quae propter lapidis scabritiam cum transuersis lineolis confundantur [1].

[Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ] θεοῦ Τραιανοῦ Πα[ρθι-]
[κοῦ υἱός, θεοῦ[Νέρβα υἱωνός, Τραιανὸς
[Ἁδριανὸς ἀρ]χιερεὺς μέγιστος, δημαρχι-
[κῆς ἐξουσ]ίας τὸ ἔνατον, ὕπατος τὸ τ[ρί]-
[τον, τῷ κοι]ν[ῷ τ]ῶν Ἀμφικτυόνων καὶ
[Δελφῶν τῇ]πόλει χαίρειν.
[Τὰ γράμματα ἃ]πρὸς ἐμὲ ἐπεστείλα-
[τε πρῴην π]ερὶ ὑμ[ῶ]ν προσήχθη τῇ
[λαμπροτάτῃ] συνκλήτῳ καὶ ἡ σύνκλη-
[τος ἣν ηὔ]ξασθε ἐκ τῶν δογμάτω[ν
[κρεῖναι . . .]ν.ορεν καὶ προσηγόρευ-
[σεν]
. . . .

1. NN. 351, 2326. V. 3 nomen Σεβαστός omissum esse pro certo habeo.

ν καὶ τὰ πε[ρὶ] τοὺς
[ἀγῶνας? ἔστω μ]ὲν ἄκυρ[α], λέγω δ[ὲ]
[ὅτι ταῦτα δι]ηγήσ[ο]μαι παρ' ὑ-
[μῖν πάντα πεπρᾶχ] θαι μοι βουλόμε-
[νος ἵνα ὑμῖν εὐδαιμο]νία καὶ ἀκμὴ
[φυλάττηται].
[Ἐπρέσβευον Φλ. Ἀρι]στότειμος
. . . . ιμος. Εὐτυ-
[χεῖτε . Πρὸ. . . . . . .ῶ]ν Σεπτεμβ-
[ρίων. Ἀπὸ οἰκίας Τιβου]ρτείνης.

In priore parte huius epistulae imperator de re quadam ad uirum unum spectante in senatu egisse uidetur : quem legatum fuisse et fortasse legationis praemia repetiuisse ex uestigiis u. 13-16 πρεσ[βευ]τήν, νεῖμαι αὐτῷ, πρεσβεῖαι... ἠξιο[ῦν]το uerisimile est. In altera autem ad maiora nescio quae pergit : u. 26 enim utrum de Amphictyonibus an de Pythiis diiuidicet incertum manet. Promittit certe iterum se Delphos reuisurum esse sibique futuram semper eandem de ciuitatis prosperis rebus curam.

Animaduertamus hic principem legatorum illum Aristotimum esse qui aliquot post annos sacerdos fuit, cuius nomine tempus quo epistula quaedam ad Hadrianum missa est definiri potest ut infra demonstrare tentabo. Sed magis etiam nostra scire refert imperatorem m. sept. a. 125 in uilla Tiburtina commoratum esse. Quod nunc primum testatur titulus ille : plane igitur apparet a uagantissimo principe itinerum intermissionem factam esse breuem sane [1], sed

1. Nam sub finem eiusdem m. sept. eiusdem a. 125 Hadrianum Eleusine initiatum esse consentaneum est.

eis ipsis diebus quos omnes [1] eum in Graecia traduxisse putauerant.

Si omnia quae scripsit ad Delphos haberemus, ciuitatem ab eo unice dilectam celebrare possemus. Suppetunt autem quae diximus ut admiremur non sane quam lucido ordine sed quam assidua beneuolentia delphicas res tractauerit.

Neque ingrato animo tanta beneficia acceperunt Delphi. Statuas enim ei complures erexerunt [2] epistulasque ad eum miserunt quarum duas et fortasse plures incidendas curauere. De duabus certe aliquot fragmenta hucusque permanserunt.

Huic cuius sequuntur fragmenta octo [3] priorem locum propterea tribuo quod legati qui eam imperatori reddiderunt a Flauio Aristotimo ducti esse uidentur. Verisimile ergo mihi est illa epistula quam nouissimam transcripsi Hadrianum huic respondisse Aristotimumque qui Tibur Delphorum litteras portauerat Tibure Delphos reuertentem Hadriani responsum reportauisse. Itaque illis uerbis : τὰ γράμματα ἃ πρὸς ἐμὲ ἐπεστείλατε imperator nihil aliud designat nisi hanc ipsam epistulam :

Αὐτο[κράτορι Καίσαρι θεοῦ Τραιανοῦ υἱῷ, Τραιανῷ Ἁδριανῷ Σεβα-]
στῷ [Ὀλυμπίῳ, Πανελληνίῳ, Πυθίῳ, Δελφῶν ἄρχοντες, βουλή,]
πόλι[ς χαίρειν].
Τῶν ἐξ ἀρ[χῆς

1. I. Dürr, *Reisen des K. Hadrian* (Vindobonae 1881), p. 46. — P. Foucart, *Revue de Philologie*, XVII (1893), p. 200. — Otto Schulz, *Leben des K. Hadrian* (Lipsiae 1904), p. 69.
2. Quarum catalogum habes *BCH* XX p. 724.
3. NN 463, 681, 627, 738, 1583, 504, 618, x.

πων πολὺ κ. . . . ις
αὐτοὺς νεμ[ ]ον τοι-
οῦτ[ον]ἀλλὰ
ιακ δὲ ἐπιδεδώ-
καμ[εν ἐξ] οὗ μαθόντες δι' ἣν μά-
λιστα πρ[όνοιαν uel εὐσεβείαν? τ]ὰ ἱερὰ τῷ Π[υ]θίῳ Ἀπόλλωνι
δι' ἣν[εὐχὰς ἐποιη]σάμεθα ὑπ[ὲ]ρ τῆς σῆς σω-
τ[ηρίας ες ὅτι ὡς θεὸς τηλικοῦ-
[τος. . . . . κατέστ]ησας ἀκείνητα ὅσα εἰς
Ἁδρι]ανέ γέγονε[κ]αὶ οὐδὲν
προελόμε[ν]οι καὶ κατα-
ησαν ἀλλ υδεσ
σα ἐπ
ον
ενου
χυτα τ ἐκ πάν-
[των . . . μ]ὲν τὴν ὑπ[ὸ] σοῦ [τῷ Πυθί]ῳ Ἀπόλ-
[λωνι λαμπρῶς πεπολε]ιτε[υμέ]νην πόλιν· [ὅ]σα δὲ, μέγισ[τε Α]ὐτο-
[κρᾶτορ, ἡμεῖς θε]ῶν παῖδ[ες θ]ρέψαντός σου δεόμεθα ἐπι[τι]θεμε-
[νοι. . . Ἕ]λλησιν πρέσβεσιν ὑπ[ὲ]ρ ὧν καὶ θαρροῦμεν
τους καὶ διὰ τὴν σὴν εὐσέβειαν . . αιο
ενη . . . των μάλιστα ὀρθῶς εἰς ἡμῶν κα-
ολτ η καὶ ὤρθωκας τὴν πόλιν. Πρε[σ]-
[βευταὶ . . . . . . οἱ περὶ] τὸμ Φ[λ. Ἀριστ]ότειμο[ν].

Ne ordinem quidem sententiarum perspicio, nedum uerba restituere possim : unum tamen manifestum est, Delphos primum maximas grates agere, deinde aliquid noui flagitare. Sed quae sint ea beneficia quorum acceptorum gratiam imperatori referant definire non uidentur : ἀπέδωκας? τὰ] ἱερὰ Ἀπόλλωνι, κατέστησας ἀκείνητα... multa sane, sed non nobis iam significant : si recte u. 22 lacunas

suppleui, Pylaeam recenti nitore splendentem a Delphis laudari liquet, nec plura. De illis quoque quae ab Hadriano poscunt, inde a u. 22 usque ad finem quid uoluerint mihi quidem non apparet ; nisi forte illis Ἕλλησιν πρέσβεσιν Hadriani uerba quasi respondent πρεσβευτήν, πρεσβεῖαι, sed illic de uno legato agebatur. V. 23 θεῶν παῖδες suppleui quia Hadrianus iam ut Deus inuocatur et Deus τροφεύς hic sicut Megaris [1]. Vltimis uero huius epistulae uocibus ὤρθωκας τὴν πόλιν imperatoria beneficia ita callide reuocari existimo ut animo legentis potius grates agentium memoria inhaereret quam petentium insatietas.

Adulantur quidem Delphi illa quam uidisti epistula ; sed si eam cum altera quam statim habebis comparaueris, illa ingenuo uiro digna tibi uidebitur esse, haec autem illiberali obsequio insignis. Et propterea quoque huic [2] posteriorem locum uindicarem etiamsi deesset firmius argumentum. Itaque neutra Plutarcho adscribi potest, cuius in ingenium priorem certe quadrare libenter crederem, nisi coniectura ex Fl. Aristotimi [3] nomine nata me a uero non recessisse persuasum haberem.

1. *IG* VII 70-72. Cf. idem uerbum quod in hac epistula legitur in titulo delphico Wescher-Foucart 468 : Αὐτοκράτορι Ἀδριανῷ ... θρέψαντι τὴν ἑαυτοῦ Ἑλλάδα.
2. NN. 516, 3267, 532.
3. De eodem Aristotimo buleuta et sacerdote cf. supra pp. 17 et 34.

[Αὐτοκράτ]ορι Καίσαρι [Σεβαστῷ, θεοῦ Τραιανοῦ υἱῷ, θεοῦ Νερούα] υἱωνῷ, Τραιανῷ
[Ἁδριανῷ], Ὀλυμπίῳ, Πα[νελληνί]ῳ, Πυθίῳ Δελ[φῶν ἄρχοντες, βουλή, πό]λις χαίρειν.
[Ὑπὲρ σοῦ, μέ]γιστε καὶ θει[ότ]ατε Αὐτοκρἀτ[ορ,]οι θεὸν Ἀπόλλω-
[να καὶ τ]ῆς σῆς θειότητος ἀνυπερ[βλήτοις]μημενοι κοι-
[ναῖς εὐχαῖ]ς καὶ μυστήρια ἐπιτελοῦντ[ί σοι συγχαίρο]ντες μετὰ
[τοῦ τῶ]ν Ἀμφικτυό[ν]ων συνεδρίου ... μεν πρὸς
[τοῦ Πυ]θίου αὐτῷ τε [καὶ] συνέδρο[ις...
.... ας τοῦ ἱερέως
... ον τοῖς τε λ
... ικὸν ἐπὶ η

Propter litterae W formam, non enim frequenter sic scripta reperitur in titulis delphicis et rarius etiam in imperatoriis epistulis, alia duo fragmenta 619 et 4005 eiusdem

epistulae fuisse conicio : sed suo alterutrum loco reponere nondum potui et per se ipsa, praeter uerba satis trita ἀθανατο... et πρεσβευτήν, nihil adferunt.

His primis uersibus planissime cernitur quanta adulatione Hadrianum Delphi adloquantur : eius enim diuinitatem inde ab exordio inuocant gratumque animum religionis adfectatione inquinant. Libenter igitur restituerem u. 8 [Σεβ]αστοῦ ἱερέως nisi potius ἀρχιερέα tam uenerato caelicolae instituissent.

Procul dubio est Delphos u. 5 de Eleusiniis mysteriis cogitauisse et Hadriano nuper μεμυημένῳ gratulatos esse. Sed siue de priore initiatione a. 125 hoc accipis siue de epoptia quam P. Foucart [1] Cassium Dionem optimo iure secutus a. 129 uindicauit, certum uidetur alteram hanc epistulam post illam recte positam esse.

Non alienum est hoc ipso temporis momento totum Hadriani principatum, ut ita dicam, in breuissimam effigiem reduci : imperatorem graecarum rerum maxime studiosum magnificumque Delphorum patronum, Delphos uero quasi humi iacentes, adorantes.

Antoninvm Pivm iam comperimus delphici archontis munus aut potius nomen accepisse : cf. p. 36. Maius etiam ille beneuolentiae pignus dedit dum ad Amphictyones delphicamque ciuitatem epistulam mittit cuius fragmenta hactenus nonnulla reperta sunt [2].

1. *Rev. Philol. l. l.*

2. Tria fragmenta lapidis calc. n. 3722 quibuscum coniungitur fragmentum *BCH* VI p. 454. n. 85 editum. De altera columna superest tantum initium quattuordecim uersuum, neque quot litterae desiderentur determinare nunc possum.

Columna prior.

[Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, θεοῦ Ἁδριανοῦ υἱός, θεοῦ Τραιανοῦ Πα]ρθικοῦ υἱωνός, θεοῦ
[Νερούα ἔκγονος, Τ. Αἴλιος Ἁδριανὸς Ἀντωνεῖνος Σεβασ]τός, ἀρχιερεὺς μέγιστος,
[δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ ., ὕπατος τὸ ., αὐτοκράτωρ τὸ β, π]ατὴρ πατρίδος, τῷ κοι-
[νῷ τῶν Ἀμφικτυόνων καὶ Δελφῶν τῇ πόλει χαίρειν. Τῷ ν]όμῳ τῷ Πυθικῷ
... ἐν[άρ]χων καὶ
... εἰσελ]αστικῶν τοῖς
... ἀπο]χρῶντα εἶναι
... ὃ]ν ἐκάλει νό-
[μον Πυθικόν ?... ... μηδὲν τῶν
... αι ἐχρῆν [ὑ]μᾶς ταῦτα
... τῷ Πυθ]ίῳ τὸν παλαιὸν φυλαχθῆ-
[ναι ἀγῶνα ? ....]ς πρεσβείας ἀπεστειλά-
[μην... .... ἔθνος καὶ δῆλοί ἐστε .ομι-
... θαι το[ύτ]ων ἀφῃρημένον διὰ .α
... ὑμετέρα[ς β]ουλῆς εἰ μὴ τα[ῦτ]α ν.
... ει συμφέ[ρ]οντος, ἔδοξέ μοι δεῖν
... οὔτε τὴν πανήγυριν ὑμεῖν η
... εσθαι καὶ τοῦ μὴ σφ[ό]δρα ἐνοχληθῆ-
[ναι ...ἀγ]ωνισμάτων ἃ δὴ περισπούδαστά ἐστιν
...έχεσθαί μοι δοκεῖτε, ταῦτα ἐγλεξάμενος
...ὑ]ποκριτῶν ἀγῶνα καὶ κωμωδίας ὑπόκρι-
[σιν. · . τοῦ ... · ......]ς ἔπους, ὑμνήσουσιν δὲ οὗτοι τῷ αὐτῷ
[νόμῳ... ...]καὶ τὸν θεὸν πατέρα μου · αὕτη γὰρ ἡ ὑπό-
[κρισις... ...]όντως ἂν εἴη κεχαρισμένη καὶ ὑμεῖν

Cuius tituli restituendi non hic uidetur esse locus, nam alia fragmenta cum illis quae legisti coniungenda esse suspicor : uelut in fragm. 1083 quo seruantur nonnullae litterae in fine eiusdem nisi fallor epistulae [τὸν π]ροστεθέντα ἀγῶ[να] agnoui, i. e. uerbum quod pro summa totius documenti ualet.

Perpauca habeo quae addam. V. 1 Παρθικοῦ υἱωνός Antoninus solus dici potest; et u. 4 supplementa ideo certa sunt quod non Amphictyonum tantum sed Delphorum quoque maxime intererat Pythiis noua quaedam certamina adici. De his musicis certaminibus multo plura doceri uelimus. Quod uidemus nouum ἀγώνισμα institutum quo et fortasse Pythius Apollo et certo diuus Hadrianus (u. 22-23) hymnorum laudibus efferendi essent, nihil miramur[1]; nec probilitate caret Delphos maiore gaudio dilectae huius memoriae honores rettulisse quam senatum romanum.

Sed quid de Pythica lege tunc decreuerit Antoninus — nam nihil huc facit uetustissimus ille πυθικὸς νόμος — et num Domitianus u. 8 laudetur ut qui ludos in pristinum statum restituerit, non dilucide perspicitur.

Ex fragmentorum multitudine quibus adseruata sunt non solum uerba ἡμῶν, ἡμετέρα γνώμη cet., sed etiam nomina quaedam aut cognomina imperatoria, efficitur M. Avrelivm et L. Vervm[2] unam aut alteram epistulam et fortasse plures ad Delphos misisse; idemque dici potest de Septimio Severo et de Caracalla. Sed minutissimas reliquias congerere nondum mihi contigit; unum tantum documentum probabiliter restituere[3] hucusque potui.

[Αὐ]τοκράτωρ Καῖ[σαρ, θεοῦ Μάρκου]
Ἀντωνίνου Εὐσεβοῦς [Ἀρμενιακοῦ]
Σαρματικοῦ υἱός, θεοῦ Κο[μόδου ἀδελ-]

1. Titulus Coronensis *IG* VII 2870 iam nos docuit qua reuerentia Antoninus memoriam diui patris coluerit.

2. Epistulae cuiusdam a Commodo missae initium mutilum habemus, quod iam p. 71 memoraui; alterumque initium quod *BCH* XXVII p. 172 editum est fortasse Commodo et M. Didio Iuliano tribuetur.

3. Fragm. *BCH* VI p. 453 editum, 880, 989, 3530, 1278.

φός, θεοῦ Ἀντωνίνου Εὐ[σεβοῦς υἱωνός,]
θεοῦ Ἁδριανοῦ ἔκγονος, [θεοῦ Τραιανοῦ]
[Π]αρθικοῦ καὶ θεοῦ Νερο[ύα ἀπόγονος,]
[Λού]κιος Σεπτίμιος Σε[ουῆρος Περτίναξ]
[Εὐσεβής] Σεβα[στός Ἀραβικὸς]
[Ἀδιαβηνικὸς Παρθικὸς μέγιστος,]
[ἀρ]χιερεὺς μ[έγιστος, δημαρχικῆς ἐξουσίας]
[τὸ ι]ε', αὐτοκράτωρ τὸ[ιγ', πατὴρ]
πατρίδος, ἀνθύ[πατος — καὶ Μάρκος]
Αὐρήλιος Ἀν[τω]νῖνο[ς Σεβαστός,]
Λουκίου [Σ]επτιμίου Σεου[ήρου]
[Π]ερτίνακος Σεβαστοῦ Ἀραβ[ικοῦ]
υἱός, θεοῦ Μάρκου Ἀντων[ίνου Εὐσεβοῦς]
Γερμανικοῦ Σαρματικο[ῦ υἱωνός, θεοῦ]
[Ἀντω]νίνου Εὐσε[βοῦς ἔκγονος ....]
[.......κ]αὶ ἀνθύ[πατος ....]
[Δελφῶν τῇ πόλει χαίρειν·]
....
...... ς σὺν τῷι ψη-
[φίσματι ἀκολούθως τὰς δοθεί]σας ὑμῖν παρὰ τῶν
[πρὸ ἡμῶν αὐτοκρατόρω]ν δωρεὰς καὶ μέχρι ἡμῶν
[ἀεὶ συγχωρουμένας] καὶ πάντα τὰ Πυθικὰ δίκαια
[καὶ ἡμεῖς βεβαιοῦμε]ν. Ἐπρέσβευεν Τιμο-
[nominis finis, cognomen]ς, ὧι τὸ ἐφόδιον δοθήτω
[εἰ μὴ προῖκα ὑπέσχη]ται. Εὐτυχεῖτε.
[Tempus indicatur. Ἀπ]ὸ Καπύης.

Quinque haec fragmenta iure coniungi, quamuis inter infimum et superiora quid interualli fuerit nesciam, propterea arbitror quod eandem litterarum formam (Є et ΣΩ, non CѠ) omnia exhibent. Cum Caracallae nomen obstet quin u. 11 suppleamus [τὸ] ε', documentum anno quo Septimius

Seuerus tribun. potest. XV. accepit, id est a. p. Chr. 207 collocandum est. Post αὐτοκράτωρ fortasse ια' legebatur quandoquidem in permultis monumentis imp. XI usque ad mortem ille dicitur. Initium quam simillimum praebet titulus Ephesius *Anc. Gr. Inscr. Br. Mus.* III, CCCCXCV.

Quod ad epistulam ipsam spectat imperatores morem ab omnibus ferme qui antecesserunt traditum tuentur donaque et iura Delphis concessa confirmant. Neque notatu indignum est, nam post eosdem mos ille tanquam soluitur. Perraro tempore progrediente imperator statua honoratur, nulla iam scribitur epistula. Simul quidem atque imp. Valeriani (*BCH* XX p. 728) imago imp. Gallieni quoque consecrata est : n. 1082.

[Αὐ]τοκράτορ[α Καίσαρα]
Πούπλιον Λικίννιο[ν]
Γαλλιηνόν, Εὐσεβῆ, Εὐ[τυχῆ],
Σεβαστόν, ἡ [ἱε]ρὰ Δελφῶν
πόλις.

Sed litterae fere euanidae et baseos lapis ineleganter dolatus nobis documento sunt frustra illum Hadriani imitatorem eruditumque Graeciae amatorem immutabili fato obniti tentauisse. Itaque breuiter memoremus et Cari statuam (*CIG* 1714) et fragmenta edicti quo Diocletianvs « legem pretiis rerum uenalium statuere conatus est » (*BCH* XXII p. 403; XXVIII p. 400), repetamus etiam illas bases quae nonnullis imperatoribus quarti saeculi (*BCH* XX p. 729) positae sunt iam antea in usu fuisse atque alia nomina adhuc extare in latere aut in tergo incisa. Nobis uero tam celeriter haec tempora paene uacua percurrentibus ultimam ponet metam Constantinvs.

[Τὸν θει]ότατον
[Κύρ]ιον Φλάβιον
[Κω]σταντεῖνον ἡ
[ἱ]ερὰ Δελφῶ[ν πό]λις
τὸν δεσπότην καὶ
πατέρα τῶν βασιλέων.

Hic titulus in antica planitie lapidis calcarii n. 897 lectus est qui unus ex tribus βαθμοῖς templi erat, in fronte quae ad orientem spectabat : idem memoratum est p. 64 de basi statuae quae sorori Gai erecta est. Paene similem huic nostrae inscriptionem inuenit publicique iuris fecit I. Pomtow [1], sed illum lapidem in situ non fuisse et ipsum quoque ex gradu templi cecidisse mensurae quam simillimae demonstrant : in utroque lapide pars infima anticae planitiei, 0 m. 055 alta, introrsus recedit. Tres igitur statuas in crepidine positas fuisse comperimus quo, et Gai et Constantini tempore, sacram urbem pauperem fuisse significatur sumptuique parcere coactam.

1. *Beitraege* p. 49, p. 114 et tab. XIV 41.

Vix puto dissenties si documenta quae hucusque attuli pauciora esse dixero quam ut de Delphis illa aetate florentibus in uniuersum concludatur. Nam, ut omnia omittam quae tempus hominesque nobis inuiderunt, titulis quos legisti adiungenda est insuper satis ampla collectio inscriptionum quibus Delphi honorauerunt uiros aliunde illustres aut admodum ignotos, illic utique conspicuos propter reuerentiam qua Apollinis fanum prosecuti sunt. Proconsules scilicet Achaiae aut Asiae, spectatissimos primi ordinis homines feminasque, uelut Herodis Attici uxorem et pueros, aut Domitii illius Hygini familiam quem Delphis archontem fuisse comperimus, philosophos, sophistas, rhetores, in omni genere eruditos et praecipue, ut uidetur, in naturalibus quaestionibus, atque cum poetis athletas, cum grammaticis circulatores, funambulos, καλοβάτας: mox pernosces uariam illam omnium turbam qui suam laudem tanquam a Deo confirmari cupiebant quorumque laude templum inuicem quodammodo illustrabatur. Ad aliud igitur tempus et ad alium locum si differam quid sentiam, iure non me reprehendas.

Suppetunt tamen quae didicimus ut iam εἰς μίαν ἰδέαν omnia ducentes complecti tentemus. Nam si quis in multitudinem ipsam titulorum intuetur, non immerito arbitratur Delphos in altero p. Chr. saeculo quasi rediuiuos nouo splendore effulsisse. Nimirum habebat Plutarchus cur

gratissimo animo benigne intentam in Pythii sedem imperatorum et praesertim Hadriani mentem memoraret. Reuera enim uidimus sacram urbem locupletibus donis cumulatam magnificoque suburbio auctam et denuo Graecis omnibus religionis sacrarium factam. Vt caerimoniarum participes essent ludosque spectarent undique concurrebant homines ad ὀμφαλὸν γῆς, aestimabatur plurimi ciuis et senatoris delphici honos, laus ex Pythiis parta et Amphictyonica dignitas non magnorum iam nominum umbrae esse uidebantur. Maior numerus quoque factus erat eorum qui Deum quotidie colebant, et utrique sacerdoti aderant multi qui nihil potius ab Romanis didicerant quam certum magistratuum ordinem observandum: nobilem scilicet Apollinis puerum Hosiosque et Pythii σύνδικον laudare sat est, quibuscum ἀρχηίς et Pythia, ut ceteros et ipsius Apollinis et Bacchi ministros ceterorumque Deorum sacerdotes praeteream, splendidiorem sacram pompam faciebant. Ciuilibus etiam rebus praeerant cum archonte buleutae prytanesque et demiurgi insigniori apparatu, ut uidetur, quam superioribus temporibus.

Quod significant ipsi tituli qui non plures tantum sed multo accuratius quoque et elegantius sub finem primi saeculi magisque etiam per alterum, inde ab Traiano ferme usque ad Septimium Seuerum, incisi sunt.

Sed non fortuito quodam casu collata sunt tempora quae ante restitutores illos ueteris θρησκείας et quae post eosdem fuere, cum statuas Caligulae sorori et imp. Constantino eodem modo in gradu templi positas esse memorauimus. Non enim in aeternum ut Plutarchus aliique credere potuerunt sed non multo magis quam centum annos Delphos

iterum reuixisse nobis iam licet contendere. Facillimum est nunc quidem ex euentu iudicare, aequalibus autem falsa non poterat uideri splendoris ea species quae imperatorum simul atque Deorum potestate semper in tuto firmata apparebat. Itaque de illo tempore in primis digno quod penitus introspiciatur sic liceat quaestionem summatim aggredi.

Magna quidem ingenia cessere, sed haec omnis quae est de uita et moribus hominum philosophia, non aliquot iam sapientium scholis inclusa, ad homines multo frequentiores et usque ad communem populum descendit. Testimonium non sane in maius extollendum, notabile tamen praebetur hac noua formula, in decretis tum usitatissima : ὅσα τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς ἀνδράσι δίδοται, qua antiquum illud καθάπερ τοῖς ἄλλοις προξένοις καὶ εὐεργέταις detrusum est. Nec talibus rebus immorari uolo quanquam nonnullos nouimus philosophos, platonicos praesertim uerum alios quoque, qui uulgari quodam συγκρητισμῷ maiorum religionem ad naturalium rerum scientiam et ad humanam rationem accommodare tentauerunt. Nempe omnia quae, ut πλατωνιστί loquar, magis ad δόξαν fortasse ἀληθῆ quam ad ἐπιστήμην attinent nunc praetermittenda esse censeo. Sed si quis acriorem earum rerum curam quae ad uitam honeste regendam spectant et illam caritatem generis humani et Deorum amorem, ut ita dicam, paene anxium in teneriores animos tunc irrepsisse negat, obliuiscitur profecto quam celeriter christianorum fides per gentes et maxime per urbium plebem manauerit. Cui rei etsi diuersum primo adspectu uidetur esse non possum non splendidum Delphorum decus alterius p. Chr. saeculi conferre. Eiusdem enim generis duas species tenes.

Sed ex hoc ipso quod componuntur statim quantum differant dilucide indicatur. Nam christianorum religio paene tunc nascebatur et per ulteriora saecula sua fata peragenda habebat. Tempus autem quo Olympiorum religio euanesceret atque exstingueretur appropinquabat. Quod uidere non poterant Plutarchi aequales et qui post eum Antoninis imperantibus fuere ut qui iniuria sibi persuaderent τὴν πάτριον καὶ παλαιὰν πίστιν a Deis datam neque ab ulla parte impugnandam esse [1]. Ergo caueat quis ne omnibus illis hominibus et Romanorum imperatori simul atque uilissimo θαυματοποιῷ uel praestigiatori qui delphicum sacrarium summo cum studio amplexi sunt commune consilium tribuat quasi templum densatis ordinibus tueri uoluerint. Documentis enim nihil adfertur quod somnia illa uera euasisse ostendat, et reipsa Apollinis sectatores consulto adversus hostem non sese congregauisse liquet quem admodum nesciebant.

Vniuscuiusque rei humanae lex est ut nascatur, uigeat, pereat. Sed ut fit in morbis quibus corporis uires non uno ictu fractae ceciderunt, imminuuntur autem in dies, priusquam in noctem illabatur moribundus quasi inexspectato impetu resurgit et semetipsum et suos decipit, ut si uita paene ultimo animae nisu reuocetur; ita delphica religio quae antequam Augustus rerum potiretur languescebat, Traiano Hadriano Marco imperantibus denuo effloruit; quod certo demonstratum est. In ipsis autem floribus minime latebant signa quibus indicari potuit moram non diuturnam futuram et aliquid temporis, ut ita dicam, ad

1. Cf. insignia Plutarchi verba *Amator.* c. 13, p. 756 B.

soluendum concessum esse. Atque omnia nondum enucleare possum: haec certe dicenda quae uitam ipsam penitus consumebant. Ὀλιγανδρία scilicet illa quae iam teste Polybio Graeciam perdidit nullo remedio sanari potuerat: inde aduenae qui munera in ciuitate non sua adipiscebantur. Adde quod dignitates in quibus constitimus quippe quas Graeci tunc eximio amore prosecuti sint non liberae ciuitatis iam instituta erant sed nihil aliud quam uana ludicraque nomina quibuscum reuera congruebat nihil. Ioci autem et uoces ex thesauro antiquitatis depromptae imaginem quamdam uiuam efficere non poterant; itaque porticus illae atque illa aedificia quibus Pylaea splendebat non multo magis ualebant quam restitutiones ab architectis et ἀρχαιολόγοις in charta delineatae. Nihil enim obstare poterat quin illaberetur templum umbraque uespertina Apollinis sedem obscuraret.

Vidi,
die XXI. mensis Martii anni MCMV
Facultatis Litterarum in Vniuersitate Parisiensi Decanus,
A. Croiset.

Typis mandetur:
Academiae Parisiensis Rector,
L. Liard.

INDICES CAPITIS PRIORIS

I. — Imperatores.

II. — Nomina virorvm feminarvmqve

III. — Verba notabiliora

CONSPECTVS

MATISCONI, EX TYPIS FRATRUM PROTAT

MATISCONE, EX TYPIS FRATRUM PROTAT